DE REBUS GESTIS
EUGENII PRINCIPIS
A SABAUDIA
BELLO PANNONICO
LIBRI III.

Digitized by Google

GUIDONIS FERRARII
SOCIETATIS JESU

De rebus geſtis

EUGENII PRINCIPIS
A SABAUDIA

BELLO PANNONICO

LIBRI III.

Ad Eminentiſſimum ac Reverendiſſimum

S. R. E. PRINCIPEM CARDINALEM

ALEXANDRUM
ALBANUM

ROMÆ MDCCXLVII.

EX TYPOGRAPHIA HIERONYMI MAINARDI.
Superiorum facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

ALEXANDRO
ALBANO
S. R. E. Principi Cardinali.

JULIUS CORDARA S. J.
Felicitatem.

FUit hæc ſemper, ALEXANDER CARDINALIS AMPLISSIME, & eſt etiam nunc Italiæ noſtræ propria ac ſumma laus, abundare juxta hominibus qui faciant digna litteris, quique eorum fa-

Digitized by Google

facta aptè ornatèque conſcribant; nec tametſi maximam utriſque debemus gratiam, conſtituere pro certo poſſim, utris majorem debeamus. Eſto enim ex rectè factis æſtimari præcipuè virtus ſoleat, ac porrò debeat, populorum autem, & rerum publicarum dignitas, ſalus, atque felicitas, in virtute potiſſimum poſita, & conſtituta ſit; Quæ tamen pulcherrima exiſtimantur incitamenta virtutis & præmia, laus, fama, immortalitas nominis, nulla eſſent dempto litterarum præſidio, omnemque rerum, atque hominum clariſſimorum memoriam interciperet tempus, niſi illam cuſtodiret quodammodo, & vindicaret Hiſtoria, cujus beneficio vigent apud nos Majorum facta præclara, vigebunt apud remotiſſimam poſteritatem noſtra. Sed utcunque ſit, nobis, uti dicebam, ducta à priſcis uſque temporibus ſerie, nunquam defuere Viri in utroque genere illuſtres; nec verò hac ætate deſunt: Succreſcente in dies rerum ſcribendarum uberrima ac læta ſegete,

te, promptiſque ſemper ad ſcribendum magnis & cultis ingeniis, quorum nunquam antea fortaſſe tanta copia, aut fœcunditas major. Neque verò ſcriptores noſtri res popularium ſuorum patriis ſolummodo, quod exteri quoque faciunt; conſignant litteris; verum etiam latinis, quæ cum in uſu notitiaque omnium gentium ſint, funduntur latiſſimè, ad omnes terræ plagas pervadunt, & ad illuſtrandam rerum atque hominum famam cæteris multum præſtant. Et quamquam id ipſum aliqui noſtratum reprehendant, rati magis è re publica fore, in his tractandis coli maternam linguam, Gallorum exemplo, qui editis amænioris argumenti libris incredibili numero, magnam linguæ ſuæ celebritatem apud nationes exteras pepere-re; tamen ſi qui apud nos latinè ſcribere cum dignitate poſſunt, nunquam eos pœnitebit, quantum ego arbitror, linguam hanc nobiliſſimam maternæ, etiamſi cariſſima nobis ea ſit, prætuliſſe.

Nam-

Namque ut omittam, ad conſervandam augendamque Italici ſermonis celebritatem ſatis jam ſuperque librorum eſſe, ac porrò fore, nec defuturos ullo tempore in Italia qui italicè ſcribant (id enim habent ſupra latinos libri iſti vernaculi & populares, quod ſcribuntur commodius, leguntur ab indoctis perinde ac doctis, à Feminis quoque, & cum emptores inveniant facilius, quæſtuoſiores plerunque ſunt), ut hæc inquam omittam; Quis non intelligit, ad ſcriptoris exiſtimationem & laudem conferre plurimum Romanam linguam, ſi modò compta, ſi nitida, ſi ad veterum latinorum exemplar limata, & expolita locutio ſit? Non enim hæc, uti vernacula, à nutrice hauritur, non uſu, & conſuetudine familiari diſcitur; ſed colligenda ex libris, ingenio exprimenda, labore multo, & aſſidua exercitatione comparanda: Id quod videmus conari quam plurimos, paucos admodum ob rei difficultatem aſſequi. Adde huc, nobis præci-

cipuè commendatum videri cultum latini ſermonis, & Italicæ præſertim intereſſe nationis perpetuo ſalvam & florentem eſſe eam linguam; quæ tametſi communis omnium gentium dicitur, proprio tamen ac certo jure noſtra eſt, utpote in hoc olim ſolo nata, in eodem poſtea reſtituta, & noſtrorum maxime ſedulitate & induſtria in hunc ſplendorem, ac dignitatem provecta. Jaceret illa ſanè etiam nunc in ſqualore Gothico ac ſordibus, niſi collapſam excitaſſent Majores noſtri: & niſi à nobis ſuſtentaretur, concideret denuo, ut eſt multorum opinio, aut certe ſine honore & cultu eſſet. Adeo nihil in reliquis nationibus præſidii eſt: ſeu quod altius apud eas inolevit barbaries ſuperiorum temporum, & radices egit: ſeu quod malunt ſuam quæque linguam libris conſcribendis efferre, hanc autem ut extraneam negligentius habent. Quo ſtudioſius non decet, in tanta paucitate excellentium ſcriptorum, eam colere, ac tueri, & quaſi opes dome-

b ſticas

ſticas in loco & tempore oſtentare. Poſtremo eſt quædam in Romana ſcriptione dignitas, & magnis explicandis rebus vis; ac poteſtas, qua cæteræ carent linguæ, ne excepta quidem hac noſtra Italica, quæ cæteroqui latinæ ſimillima omnium eſt. Ut mihi quidem male agi cum Viris fortibus videatur, quoties eorum res ad memoriam inſignes aliis quibuslibet exilioribus litteris conſignantur. Contra non aliud luculentius antiquæ majeſtatis veſtigium videre mihi videor in Italia, quam quod ejuſmodi ſubinde prodeant ſcripta, in quibus & auream Auguſti latinitatem invenire eſt, & digna Romano Imperio facinora, & Viros ab illo ævo non degeneres.

Atque hæc ipſa ſunt, Princeps Eminentissime, quæ in præſenti Opuſculo ſimul conjuncta reperies. Agitur de ſummo Italiæ Viro Eugenio, cujus ſive ſcientiam rei militaris, ſive res fortiter & præclarè geſtas, ſive ipſam nominis magnitudinem ſpectes, nihil deeſſe putes ad

ve-

veterum Imperatorum gloriam; adeo nominatiſſimos quoſque hujus temporis Duces virtute & fama ſuperavit. Narrantur bella graviſſima, & maximè periculoſa, mira felicitate confecta, fuſi hoſtium potentiſſimorum exercitus, captæ arces natura, & opere munitiſſimæ, juncta pontibus flumina ingentis alvei, longe prolati fines Auſtriaci Imperii, tota demum in poteſtatem Cæſaris redacta, & pacata Pannonia: Res illis quam ſimillimæ, quibus Romani Duces tantopere claruerunt. Narrantur autem eo ſtyli nitore, atque elegantia, quæ, niſi plurimum fallor, ad cultiſſimos illos Romanæ Hiſtoriæ ſcriptores proximè accedit. Ut minimæ molis liber non mediocrem allaturus videatur commendationem auctori ſuo primum, tum genti noſtræ univerſæ; quippe unus ex illis non adeo multis, ex quibus capi conjectura poterit, vigere apud nos veterem agendi ſcribendique gloriam, nec, ut exteri criminantur, virtutem priſtinam in hac Provincia penitus conſenuiſſe.

At inquies : Quid tibi juris in iſta re ? Et miraberis profectò , me meas occultare merces ſolitum , nunc palam venditare alienas . Dicam ergo quod eſt libere , & ingenuè , meo more . Guido Ferrarius Societatis noſtræ Juvenis eximiæ ſpei , dum adhuc ſtudiis Theologicis operatur Mediolani , quidquid vacui temporis ſcholaſtica relinquunt penſa , non honeſtè ſolum , ſed utiliter traducendum exiſtimans , his manum adjecerat commentariis , magis fallendi otii , aut exercendi ſtyli cauſa , quam ut eos in lucem ederet aliquando . Priorem librum , pro ſua benevolentia , ad me tranſmiſit , ſuſcepti ſcilicet laboris ſpecimen , rogans ut de eo cognoſcerem , & cenſuram valde à me flagitans , uti Juvenes à provectioribus ſolent : Non enim , quod ego ſciam , alia illum re ſuperamus , niſi ætate . Vidi , miratus vehementer ſum . Occurrebat namque genus narrationis purum , ſimplex , atque perſpicuum , idem contextum & ordinatum probè , ſuis diſtinctum lumini-

bus

bus, Romani prorſus, ac Cæſariani ſaporis. Quid plura? Auctor illi fui, ut porrò pergeret inſtitutum ſequi, & cœptum opus ad calcem deduceret. Fecit impiger Juvenis magno animo, & pari felicitate. Ego ubi libellum excreviſſe vidi ad juſtam molem, vulgandum omnino ſtatuebam: Quod auctor modeſtiſſimus cum diſertè negaret initio ſe facere aut pati velle, tandiu hortari ac rogare inſtiti, donec impetravi, ut hujus negotii arbitrium mihi omne permitteret. Ita opus me hortatore confectum, mihi traditum, & niſi à me educeretur in publicum, in tenebris & oblivione futurum, mirari deſines à me in lucem emitti.

Jam quæ me impulerint cauſæ, ut illud Tibi præ cæteris inſcriptum vellem, quæret eorum nemo, qui ſciunt, quot Tibi ego nominibus devinctus ſim, & quantum pro immortalibus tuis erga me meritis debeam. Id autem tale eſt, ut etiamſi nullæ forent privatæ rationes meæ, non alteri magis deberetur quam Tibi; nec

certe alteri, uti opinari fas eſt, attributum mallet Eugenius ipſe ſi viveret, ſive ille genus reſpiceret ſuum, ſive ſtipendia quæ fecit, ſive hanc ipſam gloriæ magnitudinem, quam tot ac tantis rebus geſtis eſt conſecutus. Fuit enim è Regia Sabaudiæ domo, cujus Tibi apud Apoſtolicam Sedem tutela & procuratio commiſſa eſt. Meruit Carolo VI. Cæſari, cujus & Filia, & Gener, Auguſti Conjuges, in Te diligendo ornandoque conſentiunt uſque adeo, ut Illa Te ditionis totius Auſtriacæ, Hic Romani Imperii Comprotectorem apud Pontificem Maximum elegerit, eundem ambo ſuum eſſe Romæ Interpretem voluerint cum poteſtate ſumma, & negotiorum ſuorum omnium adminiſtrum conſtituerint. Quod demum Eugenius cum Turcis tam feliciter debellaverit in Hungaria, quod eorum copias ſemel, iterum, ac tertio profligaverit, quod feroces, & numero præfidentes barbaros attriverit toties, & ad extremum intra fines Imperii ſui plenos cladis & igno-

ignominiæ compulerit; id ille, non tam fortitudini ac virtuti ſuæ referebat acceptum, quam fauſtis fortunatiſque auſpiciis Patrui Tui Clementis XI., a quo Pontifice ſapientiſſimo, & verè maximo, ſæpe litteras amantiſſimas, ſæpe gratulationes, poſtremò ſplendidam legationem accepit, ſacrumque Enſem ac Pileum, dona pulcherrima, eademque præmia virtutis ampliſſima, & triumphalia veluti inſignia præſentis Romæ, minori ea quidem luxu ac pompa, ſed antiquis illis multo ad decus illuſtriora, quippe ex Religionis Sacrario profecta, in Sanctiſſimo totius Orbis Conſilio decreta, nec niſi Viris inſigniter de Re Chriſtiana meritis decerni ſolita.

Sed quid ego hæc longiùs quæſita commemoro? Quaſi verò ad præfigendum huic operi tuum nomen ſatis juſta cauſa non eſſet amicitia ipſa, ac familiaritas, quam cum Eugenio ſemel contractam Viennæ, toto deinceps vitæ tempore coluiſti.

Ama-

Amabat ille Te ſanè ex animo, Tu illum, fovente hanc mutuam benevolentiam ſimilitudine quadam indolis, virtutum, atque ſtudiorum. Nam excelſa utrique mens, acre & velox ingenium, animus apertus, liberalis, vividus, par magnæ fortunæ, & quibuſcunque fortunæ caſibus major: Tum cuique ingens apud ſummos Principes gratia, & auctoritas, laborum & curarum patientia vix credibilis, mira juris, morum, ac totius memoriæ veteris intelligentia, in conficiendis autem negotiis ſumma dexteritas, atque ſolertia. Quibus cum accederet tuus iſte in agendo candor ingenuus, iſta naturæ facilitas, & qua tantum vales, plena venuſtatis & luminum eloquentia, capiebatur ille alloquio & conſuetudine tua majorem in modum; hac etiam re delectari ſolitus, quod Juvenem Eccleſiæ debitum, & pacis artibus excultiſſimum, videbat non ignarum belli eſſe, & de caſtrenſibus rebus non incommodè diſſerentem audiebat. Hæc ipſe ſcilicet de

Te

Te jam inde digreſſo, jam Cardinali, prædicare conſuevit, quæ cum multis notiſſima ſunt, tum nulli notiora quam Tibi. Quo minimè miror, Te, ſi quando de Eugenio Principe incidat ſermo, effundi in commendationem illius, & nullum finem laudandi facere. Quod cum ego ſæpius adverterim, mirari ſubiit, præter cæteras tuas egregias dotes, iſtam in amicitia fidem oppido ſanctam atque incorruptam, qua, ut aſſentari amicorum vitiis indigniſſimum putas, ita eorum virtutes nec ſilentio tegis, nec parce aut invidioſius exornas.

Hæc igitur cum ita ſint, dubitare non debui, Cardinalis optime, quin hoc de rebus geſtis Eugenii commentariolum benignè exciperes, & ſumma cum voluptate percurreres. Etſi enim quæ hic traduntur vulgatiſſima ſunt, multorumque celebrata linguis & litteris; non ideo minus gratum accidet eadem recognoſcere novo ornatu, atque cultu: Quin, ut illis uſuvenit, qui poſt aliquod

quod temporis intervallum novis conſitam arboribus villam, aut domum novis conveſtitam aulæis reviſunt; alia videbuntur quodammodo, & omnino novam jucunditatem legenti afferent. Simul memoria repetens ejus Viri laudes, quem olim amiciſſimum, & virtutis tuæ æſtimatorem magnificum habuiſti, gratulaberis ipſe Tibi tuos iſtos haud ſegniores ad gloriam impetus, utque inſtituiſti, ita perges alacri animo ſervire Reipublicæ, & famam implere. Ad me quod attinet, id ego certè optatiſſimum conſequar, ut extet erga Te documentum aliquod obſequii, & obſervantiæ meæ, tenue illud quidem, ſed debitum, ſed publicum, ſed æternum.

Romæ pridie Kalendas Sextiles MDCCXXXXVII.

FRAN-

FRANCISCUS RETZ

Præpoſitus Generalis Soc. Jeſu.

CUM librum cui titulus : *De rebus geſtis Eugenii Principis a Sabaudia Bello Pannonico* a P. Guidone Ferrario Societatis noſtræ conſcriptum aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus ut typis mandetur, ſi ita iis ad quos pertinet videbitur. Cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 2. Julii 1747.

Franciſcus Retz.

IM-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Archiep. Tharſi Viceſg.

ELectus à Rmo Sac. Pal. Apoſt. Magiſtro ut expenderem P. Guidonis Ferrarii commentarium *de Rebus in Pannonia geſtis ab Eugenio Principe*, perlegi illum attentè diligenterque, & ſepoſita tantiſper amicitia, quæ mihi eſt cum clariſſimo auctore ſumma, cenſorem egi: Nihil tamen reperire potui quod reprehenderem, nihil imo quod non laudare vehementer, & admirari debuerim. Quare aureum opus dignum plane judico approbatione omnium, & luce publica. Nonis Maii 1747.

Vitalianus Borromeus Bonon. Viceleg.

GUidonis Ferrarii Societatis Jeſu de Rebus in Pannonia geſtis Eugenii Principis a Sabaudia libros tres, jubente Rev. Patre Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro attente perlegi, illoſque egregie adeo ſcriptos inveni, ut quemadmodum bellicas C. Julii Cæſaris virtutes Eugenius Princeps eſt aſſequutus, ita Cæſariani ſtyli nitorem, elegantiam, clariſſimus hic Author reddidiſſe videatur. Quapropter perfectum Opus merito vulgandum cenſeo. Romæ Kal. Quintil. Anno MDCCXLVII.

Michael Joſeph Morei Arcadiæ Cuſtos Generalis.

IMPRIMATUR,

Fr. Aloyſius Nicolaus Ridolfi Ord. Prædic. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

LI-

LIBER PRIMUS

POSTEAQUAM ad Viennam debellatum An. 1697
eſt, quo prælio Barbarorum profligata ſunt amplius CC. millia, quamquam magna Pannoniæ pars impetu victoriæ capitur, quæ brevi deinde omnis conceſſit in poteſtatem Cæſaris, ac in provinciæ formam redacta eſt; tamen neque omnino ſunt hoſtes ſublati, nec fracti rebellium animi. Movebantur autem perfidiæ conſcientia, ne ſe æquiſſimo Cæſaris imperio crederent; & plerique montibus locorum iniquitate tuti initio ſe continebant. Tum uſu ipſo, & diuturnitate temporis confirmatis in adverſa animis, beneque magna manu comparata, e ſaltibus progredi, agmine magis quam acie in planitiem effundi, provinciam crebris excurſionibus vexare cœperunt. Succeſſu erectis aliquo magnopere ſpes augebatur, quod ſubſidia quotidie veniebant abs Turcarum Rege. Quam ob rem arrogantia majorem in modum, temeritateque elati, nulli rei deerant, ut plebem concitarent. Illud etiam acciderat graviſſimum, quo minus Leopoldus Cæſar pacandæ provinciæ negotium ſuſciperet, quod exorta repente fuerant cum Galliarum Rege diſſidia, bellumque periculoſum, ac vehemens: qua re effectum eſt, ut copiarum vix tantum in Pannonia relinqueretur, quantum ſatis eſſet ad hoſtium impetus propulſandos; Ideoque crebris nunciis Byzantium miſſis conjurationis principes auxilia ſibi majora depoſtulabant: Et Turcæ deductis novis exercitibus, ita deinde adminiſtraverant bellum, ut & victores aliquando ducerentur ſpe recuperandæ provinciæ; neque ſæpe victos pertinax animus tamen de-

ſereret. Ita ancipiti exitu intra annos tredecim certatum eſt ad annum uſque MDCXCVII., quo anno Cæſar Imperatorem deſſignavit Eugenium contra Turcarum Regem, qui ad bellum per ſe gerendum in Pannonia venerat cum maximis copiis. Huic Muſtaphæ nomen erat, exercitum autem ducebat hominum armatorum ad C. M. Summa omnium cum Lixis & Calonibus erat amplius C. L. M. Ipſe vero, quod prælio ſuperior evaſerat priore anno, & Taurunum (a) receperat, firmiſſimam arcem in ſuperiori Mæſia ad Pannoniæ fines, tantos ſpiritus ſumpſerat, ut viciſſe ſibi jam videretur, neque quibus rationibus ſuperare, ſed quemadmodum crudeliter uti victoria poſſet, cogitaret: & dicitur eo tempore glorians apud ſuos dixiſſe, ſe ad hoſtes porro deſcendere, ut eorum exercitum, Legatos, ac ipſum illum novum hominem Imperatorem Eugenium, ſecum in Thraciam vinctos omnes abduceret: Qua de re magno numero carros poſt impedimenta adduci jubebat compedum plenos & catenarum.

(a) Belgrado Capitale della Servia.

Quæ quo latius inflatiuſque jactabantur, hoc majori ſtudio utendum ſtatuebat Eugenius, ut ne Barbaris minimum relinqueret fortunæ locum; Cæſaris quidem certe judicio ſatisfaceret, qui cum, luſtrum modo ſextum prætergreſſum, Imperatorem delegerat bello omnium longe graviſſimo. Igitur quo celerius ab omni metu injuriaque provinciam liberaret, maturandum exiſtimavit, ut in Pannoniam proficiſceretur, ſecundoque Danubio delectus omnes, & novæ legiones ex Germania navibus tranſportarentur. Cum Veriſmartonum veniſſet, quo omnes copiæ convenerant, comperit ſumma difficultate rei frumentariæ laborare exercitum. Quæſtorum indiligentia, vexatione agrorum, incendiis vicorum, uſque adeo, ut inopia adducti milites ferre operis laborem non poſſent, & clam a ſignis diſcederent, ſi quid frumenti, aut pe-

coris

coris in agris reperire poſſent. Eugenius de re frumentaria provinciam adhortari non deſtitit. Horrea conſtitui, frumentum in publicum conferri, pecus ac commeatus ad exercitum comportari imperat. Quibus rationibus, & Pannonum diligentia, brevi rerum omnium copia ad caſtra confluebat. Hoc tempore litteræ a Vadamontio (*a*) allatæ ſunt, atque his nunciabatur, proſpere pugnatum eſſe. A ſuperioribus Tybiſci accolis initium repentini tumultus & defectionis fuerat, qui paucorum ſolicitationibus impulſi, captis armis, coactaque manu excurrebant, & Tochæum (*b*), prætereaque Oppida nonnulla minus firma occupaverant, oppreſſis improviſo Cæſarianorum præſidiis. Vadamontius celeriter accurrerat; reique bene gerendæ occaſionem nactus, in acie conflixerat, & rebellium agmen disjecerat. Illi fuga proximos colles petiverant. Vadamontius fugientes confectatus magnum eorum numerum interficit, reliquos juſſos arma projicere in Cæſaris fidem recipit, jubetque tradi principes conjurationis, deque iis graviore ſententia pronuntiata ſupplicium ſumit. Poſt hæc Tochæum deditur, atque oppida recipiuntur, quibus uti perfugio ſolebant, unde excurrebant, & prædam paſſim abigebant. Quæ cum res exercitui nuntiarentur, tantus animos militum ardor ceperat, ut mirabili flagrarent cupiditate pugnandi.

(*a*) Il Giovane Pr. di Vaudemont

(*b*) Tokai.

Interim Eugenius curam nullam aſpernatus, diligentiaque uſus, conſilia hoſtium per ſpeculatores explorat, deque eorum exercitu intelligit, ad Taurunum conſediſſe; In eoque magni fuit opera cujuſdam ex Raſcianis hominibus, qui ſuam Cæſari fidem toto bello conſtanter præſtiterunt, maximoque uſui fuerunt. Is iter diligenter faciens, & ſuſpicione nulla inter hoſtes verſatus, in quibus magnus erat eorum numerus qui rebellaverant, ad Tauruni uſque portas accedit, & conſilia hoſtium omnia cognoſcit. Ita Euge-

nio referebat, peditum, potiſſimum vero Prætorianorum, (qui Janiſſarii appellantur) multitudinem maximam conveniſſe; adhuc tamen equitatu deſtitui, neque ejus eſſe numerum millium amplius duodecim: hoſtium in Danubio claſſem eſſe triremium quindecim expeditarum, myoparonum triginta, navicularum amplius ſexaginta; His omnibus eſſe impoſitum magnum ſagittariorum numerum, triremibus minimis Turcas centum & quinquaginta, multo majoribus plures. Quibus rebus cognitis Imperator, aliquot dies quieta ſtatione uſus ad reficiendum exercitum, Futacum venit, pagum in Danubii ripa, quæ orientem ſpectat. Is autem abeſt a Petrivaradino circiter millia paſſuum duodecim. Petrivaradinum annis ſuperioribus Cæſar communiri juſſerat novis adjectis operibus, ut unum omnium maximum eſſet propugnaculum in finibus Romani Imperii: & Muſtapha fore eam ut urbem caperet primo belli impetu, pronunciaverat. Ob eam rem Eugenius, relicto exercitu, Petrivaradinum contendit. Munitione urbis, & operibus inſpectis, quid ad ea addi velit, imperat; maxime autem hortatur milites magno eſſe paratiſſimoque animo. Illi cum conclamarent, quæque mandaverit ſe ſe cupidiſſime facturos pollicerentur, ad exercitum redit, explicandæque rei frumentariæ cauſa, motis caſtris, apud Cobilam ſtativa facit, oppidum ad commeatus omnes idoneum.

Eodem tempore dimiſſi quoquoverſus manipuli hoſtium copias crebris excurſionibus fatigabant, & ſi qui longius frumentandi pabulandique cauſa proceſſerant, inſidiis excipiebant, & loca nequaquam ſatis firma ſubito impetu capiebant, diripiebantque. Qua in re Malenichius Tribunus omnes felicitate præſtitit. Cum enim levis armaturæ equitibus minus centum præeſſet, munitionem ad oppidum Scholim poſitam de improviſo aggreditur. Foſſis ſuperatis, barbaris qua-

quadringentis trucidatis, captis ducibus potitur caſtrorum. Ejuſmodi munitiones Palancas vulgo vocant, atque earum in Pannonia magnus eſt uſus. Eſt autem ſpatium amplo circuitu, aggeribus, foſſa, palatione præcinctum. Quas munitiones hoc conſilio a Turcis inſtitutas comperio, ut, quoniam in omnibus provinciis nullam plerumque loco firmo, niſi arcem unam communiunt, ea habeant exercitibus parata veluti caſtra, &, ſi pugnæ ferat fortuna, victis perfugium. Quæ res ab iis initio tradita, celeriter a noſtris hominibus eſt traducta ad rei militaris uſum; multo tamen commodius; Nam ſub ipſis arcibus, firmiſſimiſque urbibus, ita ut ſe mutuo defenderent, inſtituerunt ratione diligenti caſtra exercitibus metari, quæ vallo foſſaque clauderentur.

Sub hæc hoſtium ſe claſſis in conſpectum dedit. Ad earum numerum navium, quas diximus, magnum navigiolorum addiderant numerum, hiſque remiges ſingulis octo cum Gubernatore impoſuerant; Totis autem fluminibus produxerant, ut ea exercitui explicarent. Accidit iiſdem fere diebus, ut maxima Danubio coorta tempeſtas Cæſarianorum pontem flumini impoſitum apud Petrivaradinum interrumperet. Itaque Eugenio hæc ſimul occurrebant, ut & hoſtes trajectu fluminis prohiberet, & ſibi interclusum ad ripam utramque iter aperiret ponte loco firmo, & forti reſtituto. Quare in magnis erat anguſtiis, quod ejus reficiendi ſumma erat difficultas, neque minimum ab hoſte periculum, ſi caſtra relinqueret. Qua in re tamen magnitudinem animi declaravit, præſtantiamque ingenii. Paucis enim cohortibus præſidio caſtrorum relictis, ut excubias agerent, & ſpeciem præberent exercitus, reliquos celeriter Petrivaradinum traducit. Continenti labore militum, nihil intermiſſo diem noctemque opere effectum eſt, brevi ut iterum difficillimum ponte flumen jungeretur; Eo refecto,

ćto, exercitus in priora caſtra ſe recipit. Hoſtium hæc erant conſilia, Petrivaradinum aggredi; tamen antea Danubio ſuperato Tybiſcum (a) potiri. Eſt autem Tybiſcum urbs inter Petrivaradinum, & Temeſvariam proxime ad fluvium cognominem, qua fere fluvius in Danubium influit. Quem ſi locum cepiſſent hoſtes, Cæſariani facile Petrivaradino intercludi, commeatus vero & reliqua, quæ ad oppugnationem pertinent, commode a Temeſvenſi agro ad Muſtaphæ exercitum comportari poterant. Eugenius quod hæc de hoſtibus uſuventura opinione præceperat, eorum cujuſque modi conſiliis diligentia occurrebat. Vadamontio dat litteras, uti quam maximis poteſt itineribus contendat, ac aſſequatur exercitum. Eadem Rabuttino (b) ſignificat, docetque, quoniam barbarorum equitatus, quos vocant Tartaros, magno numero ad hoſtium exercitum pervenerit, flumen tranſire, Tybiſcum tentare cogitent; Cæſariani autem non multum equitatu valeant, cujus pars maxima ſub ipſo erat in Tranſylvania, ibique hyemaverat, in ejus celeritate omne poſitum eſſe certamen, ut equitatum quamprimum adduceret ad exercitum. Rabuttinus ad ea reſpondit, minime ſibi e republica fore videri e provincia excedere: Explorato ſe ſcire, Techelium regni cupiditate inductum, popularium ſtudiis fretum, omnibus conſiliis adhortari Muſtapham, ut iter in Tranſylvaniam converteret: Neque non etiam ſciret Eugenius fore periculum, ne conjuratio fiat, ſi reducantur copiæ: Quas ob res æqui bonique ſe arbitrari conſultum, ſi minime adduceret equitatum. Eugenius his acceptis ab Legato ſuo duris reſponſis, in præſentia diſſimulare conſtituit. Nehemo (c) aliquot legiones attribuit, monetque uti propius ad urbem accedat, hoſtium motus obſervet, ſique Danubium trajicere conentur, demoretur: Curam verumtamen gerat militum, neve eos ulli periculo committat. Mox ſe-

ve-

(a) Titul.

(b) Conte di Rabuttin.

(c) Generale Nehem.

verius ad Rabuttinum ſcribit : mirari vehementer, quod imperatorias ſibi partes ſumeret : Legati eſſe ad præſcriptum agere, ſpectare ad Imperatorem ad ſummam rerum conſulere : Adduceret equitatum, atque ita exiſtimaret, ſibi curæ fore, ne quid impune auderent Barbari. Poſtea Rabuttinus imperata facit, multo tamen ſerius pervenit, quam res poſtulabat. Hoc unum Eugenio defuit, ut hoſtium impetum retardaret. Turcæ ponte inuſitati operis jacto, repente Danubium trajecerant, magniſque itineribus contendebant. Re cognita Imperator, ne numero obruerentur ſui, latum Nehemo auxilium properat, deducta parte copiarum; quominus enim hoſti cum omni exercitu occurreret, faciebat paucitas Equitum. Sed Tybiſcum ſubito impetu Turcæ ceperant. Nehemus impar multitudini, fortiter cum ſuis pugnando per medios hoſtes evaſerat, paucis pro tanto periculo deſideratis. Illi munitionibus ignes ſubmittunt, urbem populantur. Re confecta, Petrivaradinum cogitant.

Petrivaradinum Danubio adjacet, arx natura manuque firma. Pro Urbe ad flumen productæ munitiones integræ manebant, collocandis tuto exercitibus pridem extructæ. Eugenius fore id, quod accidit, ſuſpicatus, primo veſpere Commercium *(a)* cum copiarũm parte, *(b)* & Golonium Fabrũm Præfectum in urbem immittit. Eodem de prima vigilia ipſe ſequitur cum cohortibus quindecim, & majoribus impedimentis. His explicitis rebus, admonitoque Commercio, uti præſto ſubſidio eſſet ſi res ferret, ad exercitum redit, & proficiſcendum eſt, inquit, milites; Vos celeritatem adhibete, & ſilentio caſtra relinquite. Erat neceſſario Cæſarianis iter fere ante hoſtium caſtra, quæ res periculi plenam profectionem faciebat, ſi ſe effudiſſet caſtris Muſtapha. Sed Cæſariani ut incommodum acciperent nullum, providerat Imperator. Levis Equitatus præibat Pannonum. Hi mi-

(a) Pr. di Commercì.
(b) Conte di Golón Ingegnere generale.

mira velocitate equorum antecurrebant, & quocunque accederent, late explorabant omnia, ne agitarentur inſidiæ: Deinde veniebat peditatus conferta acie duplici directa, productaque ita, ut prima acies ſiniſtrorſum incederet, & latus hoſtibus præberet; dextrorſum altera. Prima conſtabat pleraque ſpiculatoribus ad ferreas glandes, ignemque adminiſtrandum exercitatiſſimis, atque his admixtæ erant fortiſſimæ omnium centuriæ legionariorum veteranæ: Legiones cæteræ in ſecunda acie conſtiterant. Minora impedimenta cum ferentariis, & calonibus tertiam veluti aciem conſtituebant. Incedentium agmen claudebat equitatus, ne ab hoſte impetus abs tergo fieret. Acies autem ſingulæ, cohorteſque tanto erant ſpatio intermiſſo diſpoſitæ, ut, ſi qua eſſet impoſita dimicandi neceſſitas, converſæ ſubitum caſum ſubirent expeditæ, & militare inſtitutum ſervarent: Qua de cauſa etiam, ut diximus, in armis excubabant Petrivaradini copiæ. Sed res omnis periculo abfuit. Res erit incredibilis, ab hominibus armatis, amplius viginti quinque millibus, quinarum horarum iter tanta diligentia fuiſſe confectum, ut quid agerent Germani, ignoraret hoſtis, propter quorum caſtra prætergrediebatur exercitus. Quo tempore, antequam præclari quidam Duces, ſed ingenio malo pravoque ad Turcas perfugerent, eoſque edocerent rei militaris ſcientiam, intelligi potuit, quanta negligentia bellum gererent, cum exploratores ferme adhiberent nullos. Itaque ad Petrivaradinum tranſmiſſus ab Eugenio eſt ponte Danubius, in urbem impedimenta tormentaque traducta, in munitionibus collocatus exercitus, firmatuſque præſidio pons, quin fieri quidquam prænoſſent. Poſt paulo quam hæc geſta ſunt, egreditur caſtris Muſtapha, & Petrivaradinum iter facere inſtituit. Profectione Cæſarianorum cognita, eo ſe demum die ab Eugenio victum pronunciat. Sed neque ab incepto deſtitit, &

to-

totis agminibus contendit, nullam adoriendi moram facturus. Caſtrorum tamen munitiones, & præſtructum ad pontem Caſtellum hoſtes ad invadendum tardiores effecit. Nihil prætermiſſum, ſi vel aggreſſione tentari vallum, vel trahi Germani poſſent ad pugnam. Eugenius ſuos caſtris continebat, de periculo exercitus nihil timebat; conſtitueratque alieniſſimo ſibi loco, & tempore nihil fortunæ committere. Nec vero poſtrema ejus laus erat, quod hoſtem fefelliſſet, quo ferme inſpectante, moviſſet exercitum, collocaſſet in caſtris, Urbem, quod propoſuerat, ſervaſſet.

Muſtapha Petrivaradini oppugnandi ſpe dejectus, trajiciendi fluminis difficultate deterritus, neque ulla ratione videns elici poſſe ad pugnam Eugenium, retro regrediendum ſtatuit, & Tybiſcum flumen propius, avertens a Danubio, iter convertit. Neque vero Eugenius moram ullam ad inſequendum intulit, præmiſitque levem equitatum, ſi itinere impeditos deprehendere, agmen extremum carpere, iter eorum explorare poſſent. Omnibus omnium nunciis intelligebat, hoſtium eſſe iter Seghedinum verſus. Id ne accideret, præcavendum ſibi exiſtimavit, ne urbe potiti magnam ad adminiſtrandum bellum haberent facultatem. Res erat omnis in diſcrimine poſita, utri prius pervenirent. Eugenius Quæſtoribus imperat dierum undecim cibaria pabulumque habere convectum; omneſque copias caſtris educit, & magno circuitu propter Danubium ducit exercitum. Erat iter Germanis per conſita virgultis, paluſtrique admodum ſolo loca, propterea quod difficillimi ſaltus iter impediebant. Eugenius nihil non exercitus virtuti tribuens, nulla interpoſita mora, tormenta, remque omnem bellicam præmiſit cum magno Operarum numero, & conquieſcere ante iter confectum vetuit. His magna pars equitatus miſſa præſidio eſt. Peditatum deinde univerſum educit, atque eum Tribunis veteranis at-

tribuit, multiplicatiſque agminibus ire jubet, quo citiſſima profectio eſſet. Factum eſt ſumma virtute militum, atque conſtantia, ut continenti unius diei labore, inſtrato paſſim pontibus itinere, Sircheni ſaltus ſuperarentur. Stativis peditatui factis, Imperator magno curſu cum equitatu præcurrit, primaque nocte ad Tomaſſum pervenit, quo loco palus maxima viam intercludebat, atque ea materia, quam milites habere ſecum in equis juſſerat, nocturno labore perpetuo, pontes mane ſummo duos perficit, quo eſſet impedimentis, ac exercitui expeditus tranſitus. Ita locorum iniquitate emenſa, biduo perventum eſt ad Petſchum vicum, ubi magnus frumenti numerus pridem congeſtus fuerat: Quo niſi celeritate uſus præire occupaſſet Eugenius, facile hoſtes obtinuiſſent id horreum Germanorum. Caſtris planitie æqua poſitis, Slichio (*a*) committit, ut cum expedita militum manu ad 11. millia antevertat Seghedinum ingredi, Hoſtes, ſi excurſione conentur, rapinis prohibeat, Palancæ, & horreorum incendio.

(*a*) Conte Slick.

Interea ab exploratoribus renunciabatur, Muſtapham cum omnibus copiis Seghedinum contendere. Kælii tamen literis, qui erat ad Caſtellum Zentam cum præſidio relictus, certior Imperator fiebat, Muſtapham, qui caſtra ad Tybiſci ripam fecerat, eodem ſe tenere veſtigio, neque copias ullas eduxiſſe: Magnas eo loco munitiones a Barbaris excitari; quo demum conſilio, ſibi non videri. Poſtero die prima luce Eugenius movet exercitum. Velites præmiſerat, qui in omnes partes quam latiſſime pervagarentur, & de hoſte renunciarent. Horum manipulus parvulum prælium cum hoſte fecerat ita, ut plurimos interficeret, nonnullos caperet. Ex captivorum numero unus fuit Muſtaphæ Præfectus (*b*). Hunc ad ſe adductum Imperator de itinere hoſtium quærit. Ille cum ſe contumacius gereret, minas adhibet, inducitque

(*b*) Baſsà.

que armatos cum micantibus gladiis, qui irruant, ni ſatis quæſtioni faciat. Tum vero perterrefactus Barbarus conſilia aperit, confirmatque, Muſtaphæ in animo fuiſſe Seghedinum tentare, ab eo tamen fuiſſe conſilio depulſum cognita profectione Eugenii. In præſentiarum id ſpectare, ut maxima celeritate præoccupatis itineribus, quibus eſt aditus in Tranſylvaniam, regionem obtineret ad hyemandum. Itaque jacto ponte Tybiſcum trajici, & Muſtapham in altera jam ripa fluminis conſediſſe cum equitatu. Quibus exploratis rebus, novaque adhibita quæſtione captivorum intelligebat, quanto eſſet Cæſaris detrimento futurum, ſi Muſtapha in Tranſylvaniam regionem locupletiſſimam ſe intuliſſet. Etſi enim Rabuttini diſceſſu, Raſcianorum, & Provincialium, fide perſpecta militum, præſidia munitiſſimis locis impoſita fuerant; non multum videbatur obeſſe ſuorum paucitas multitudini hoſtium poſſe. Igitur nihil ſibi expectandum ſtatuit, quin imprudentem hoſtem opprimeret, atque abſciſſis in duas partes dimicandi neceſſitatem imponeret nec opinantibus. Secundo uſus conſilio retorqueri agmen præcipit, iterque ſuum ad Zentam flectere. Milites, per acies ipſe excurrens adhortatur, uti æquo fortique animo laborem ferant, docetque quantum uſum habeat ad belli finem ſubito conſilio hoſtem, & celeritate vincere. Quos cum ſic animo paratos videret, ut imperata cupidiſſime facerent, arderentque cupiditate pugnandi, præoccupare iter ſtuduit, & quinque millibus paſſuum ab hoſte cum equitatu progreditur.

Cum jam in eo eſſet, ut peditatui campum metaretur, hominem equo concitato ad ipſum vehi procul conſpicit. Is erat a Cæſare Tabellarius cum literis. Iis autem ſignificabat Leopoldus, daret operam Eugenius, videretque, ne quid exercitus detrimenti caperet, cum hoſte ne congrederetur, neve conflige-

 ret.

ret. Cæſar nihil admodum fortunæ committendum putabat, quod cum ad eum exercitum conficiendum evocatis præſidiis urbes Provinciæ nudaſſet, ea dimicatione de poſſeſſione Pannoniæ decerni intelligebat. De pugnæ autem caſu timorem injiciebat hoſtium tanto major Cæſarianis numerus. Neque novum conſcribendi exercitum ulla erat Cæſari poteſtas, cujus gallico bello vires infringebantur. Nihil eorum prætérfugiebat Eugenium; Sed reputabat neque ex ſua, neque ex Cæſaris fore dignitate, ſi quam pulcherrimam ſors obtuliſſet debellandi occaſionem præterlabi ſineret. Accedebat quod ardentes ſtudio milites continere inſpectantes ſibi eripi Barbaros difficillimum; & vero indignum erat virtute exercitus ab hoſte diſcedere receſſu improviſo fugæ ſimillimo. Quod ſi tuto hoſtis trajeciſſet Tybiſcum, qua demum ipſe tanta uteretur celeritate, ut eos Tranſylvaniæ aditu prohiberet? His adductus rationibus conſtituit, exploratam victoriam nequaquam dimitti oportere, non ignarus ei Cæſarem, quod ſibi tanto compendio minus paruiſſet, magnam victori gratiam habiturum. Hic libet interponere, ab Italo Scriptore, qui Eugenii res geſtas monumentis tradidit, hoc quidquid eſt de Leopoldi literis, dici falſo contendi, propterea quod Leopoldi rerum Scriptores nihil ejus meminerunt. Cujus tamen hoc loco, quibuſdam de cauſis, quas commemorari neceſſe non eſt, minime auctoritate movemur; potiſſimum vero Auctorem probamus, qui de Eugenii vita quinque volumina ſermone gallico eleganter, neque non etiam diligenter (mallem & atramento temperato, & religioſiore calamo) confecit: qui quidem adhuc ſuſpicionem nullam habet, hac in re bene multa perſequi eo voluiſſe conſilio, ut temere interſereret fabulam. Igitur Eugenius, poſtquam peditatus fere quem expectabat omnis convenit, ita inſtruxit exercitum, ut cornu lævum in longitudinem

maxi-

maximam porrigeretur, hoc conſilio, ne circumiretur ab hoſtibus, ſi erumperent; latus vero dexterum defenderetur Tybiſci mæandro, in quem deſinebat. Utrumque eorum acie duplici confirmabat. In dextero Starembergius (*a*) curabat: Lævam aciem Rabuttinus, mediam ipſe adminiſtrabat Eugenius. Caſtrorum hoſtium hic ſitus erat. Perlecum inter, & Zentam, pagos ad Tybiſcum poſitos, planitie rivis dirempta munitiones Turcæ extruxerant tanta altitudine, quanta urbium mænia. Tormentis centum foſſaque opus communierant; atque ejus extrema proxime deducebantur ad ripam fluminis. Poſt majora hæc caſtra, æquo intervallo, magnos ſarcinarum cumulos, impedimenta carroſque circumduxerant; quæ omnia ad perpetui valli ſpeciem, atque uſum diſpoſuerant. Interiore demum ſpatio minorem effecerant munitionem, arcem veluti totius valli.

(*a*) Conte Guido Staremberg.

His ſe caſtris continebant hoſtes ad numerum amplius LX. M., qui ſi uſi conſilio progreſſi fuiſſent, ut noſtros pro caſtris expectarent armati, Germanorum fortaſſe conatus feciſſet irritos belli fortuna. Sed Muſtapha nihil Eugenio infectum putans, qui itinera, loca, tempora, ceteraque viciſſet induſtria, nulla adhibebat conſilia, ac imperaverat, uti ſe omni feſtinatione exercitus trans flumen reciperet, neve opperiretur hoſtem. Regis trepidatione, totis eſt caſtris trepidatum. Eugenius propius accedendo Turcarum exploraverat munitiones. Perturbatione eorum cognita, ad ſuos redit: atque eſte, inquit, priſtinæ virtutis memores, animumque præſtate: Habetis victum jam metu hoſtem, atque intra cancellos concluſum. Erant in Germanorum exercitu plena omnia animorum & roboris; Eorum vero incredibiliter acuebat virtutem Imperatoris aſpectus, qui alacritatem miram, animumque altum, atque erectum præ ſe gerebat. Confertis ordinibus hoſtium appropinquatum

eſt

eſt caſtris. Primi e munitionibus Equites barbari bis mille in Germanos eruperunt. Cum equitatu anteibat Eugenius: Is eorum incurſum excepit, fortiterque impetum repulit. Hi tardiores ad pugnandum effecti, vix primos ex ſuis videre dejectos, neque vero aſpectum, aut Cæſarianorum aciem tulerunt, & terga verterunt. Poſtquam conjecti ſunt intra munitiones, Imperator ſubito contrahit cornu lævum, quod quam poterat longius produxerat; eamque in partem Equitatu tormentiſque deductis, pontem quati jubet, quo fluvius jungebatur. In hunc ferme modum cornu etiam dextero diſpoſito, totiſque munitionibus exercitu circumdatis, ut impetus ex omni fieret parte, tuba dat ſignum invadendi. Univerſa hoſtes cujuſvis generis tela ingerere, glande & lapidibus certare, cetera, quæ pertinent ad propugnationem, adminiſtrare cœperunt. Ex tormentis complura habebant plumbi ferrique ſegmentis farta. Horum grando, magnaque multitudo ignis circumfundebatur. Nihil eorum terrebat Germanos, & quamquam multi vulnerabantur, invicem integri ſubibant, faſceſque virgultorum, & aggerem ſinguli afferebant ad foſſas complendas. Imperator idoneum locum nactus, quid quaque in parte geratur, cognoſcit: auxilia ſubmittit, quid fieri velit, quas maxime partes tentari, per Nuncios Legatis ſignificat. Erat a dextera parte munitionum aditus paſſibus circiter quinquaginta, quo loco Turcæ aggerem non perduxerant, ut flumen pertingeret. Hinc eruptionem facere comparabant. Eugenius magnum fore ad victoriam momentum ſciebat, ſi intra vallum conjectos pugnare cogeret. Igitur ſiniſtram aciem novis ſubmiſſis cohortibus, tormentiſque confirmat, hortaturque magna uti vi rem gerant, Barbaros contineant caſtris, nev porro patiantur erumpere. Id illi fortiter faciunt. Sed a dextera Legionarii jam ſub munitione conſtiterant, & magna agge-

aggerum parte dejecta, ad juſtam altitudinem explebantur foſſæ, præbebantque aſcenſum Germanis. Dato ſigno, incredibili ardore evolaverunt, celeriterque murum complerunt. Turcæ primi pugnantes, ferro vulneribuſque confecti loco ceſſerunt, & perterriti terga verterunt.

Singularis hoc tempore Cæſarianorum Equitum virtus fuit, qui nuſquam a peditatu diſceſſerunt, dum miſſilibus ignique circumfuſi ad foſſas pervenerunt: atque in eum locum cum ſucceſſiſſent, tela in hoſtes pro vallo ſtantes cum legionariis miſerunt. Illud quoque ex virtute uſuque militari ab iis adminiſtratum eſt, quod iniquus per inæquales foſſas aditus cum eſſet in caſtra, relictis equis ſtetere pedites; collatiſque ordinibus in vallum procurrerunt, & cædem fecerunt. Deinde manibus gladiiſque cadavera verſantes, foſſas complerunt, perque barbarorum corpora conſcenſis equis ſibi viam inſtrarunt. Qui ſimul ſunt caſtris ingreſſi, ſe turmatim effundere cœperunt, adverſis equis ordines proturbare, & fugientium terga acinace cædere. Et Turcæ neque ſigna obſervare, aut noſtrorum incurſum ſuſtinere poterant, cum in anguſtiis ipſi ſibi occurrerent, & multitudine impedirentur. Itaque nihil imperio, neque conſilio agere, univerſi terga vertere, & ad rhedas carroſque fugam facere. Horum objectu reſtitabant, vitamque defendebant. Cæſariani, re nulla remorante victoriam, neque tuta pati illis ludicra ea caſtra eſſe, neque munimentum ullum. Amolitis objecta onera patuit demum armatis via, captiſque ſecundis caſtris, Turcæ undique cædebantur, aut miſſis armis de fuga magis quam de defenſione caſtrorum reliqua cogitabant, pontemque reſpectabant. Sed continenti tormentorum impetu, quæ a læva diſpoſita initio diximus, interruptus Pons multitudini fugam interclufit, magnam partem præcipitem in flumen dedit. Tum vero inter-

ternecione magis, quam cæde, pugnatum eſt. Carri, equi, viri, omnia clade Turcarum fæda. Dies ante victores, quam ira defecit. Ita binis horis, quæ reliquæ diei fuerant ad pugnandum, expugnata ſunt Caſtra terno vallo munita. Patrum memoria tantum hoſtium tam brevi tempore interfectum eſt nunquam: Cæſa enim ſunt ad XX. hominum millia: Ad X. millia aut viribus confiſi, aut deſperatione incitati, ſe in Tybiſcum immiſerunt, & fluvio interjerunt. Tria millia capta ſunt, quibus paſſis palmis, projectiſque ad terram flentibus pepercere victores. Prætorianorum Ductor (*a*) hoc prælio interficitur, Ipſeque Acmettus (*b*) pace ac bello poſt Regem primus, Princepſque Purpuratorum, quem Viſirium vocant; Atque allatus eſt ad Eugenium regius annulus, (*c*) qui ſemper collo geritur a primo Magiſtratu. Muſtapha cum reliquis ſibi fuga ſalutem peperit, citatoque equo Temeſvariam profugit. Neque ibi conſtitit: ſed eadem celeritate Taurunum fertur, ſæpe, ut dicebatur, ſe ſe incuſans, & ad terram projectus luto barbam crineſque fædans, aut Cœlum flens reſpectans, impotentis in utraque fortuna animi, magnoque exemplo futurus ſuperbis Imperio Regibus.

(*a*) Agà de Giannizzeri

(*b*) Egli è incerto ſe tal fuſſe il di lui nome.

(*c*) Sigillo imperiale.

Caudæ ſunt Equinæ hoc prælio relatæ ſeptem, ſigna CCCCXXIII., & Prætorianorum (*d*) vexillum. Capta ſunt curulia ex ære tormenta C., Caſtrenſia LX. majora ex argento Tympana (*e*) XCVI., minora (*f*) quingenta. Carri ad IX. M., eædemque ſunt captæ compedes, quas victoribus Muſtapha decreverat. Intercepta ſunt equorum VII. millia, Jumentorum XX. millia, præterea maxima armorum vis, cum omnis generis commeatu; & regia ſupellex omnis, Famuli, Currus, Equi, Ciclaris, Tabernaculum cum caſtrenſi ærario. Tanto prælio Eugenius deſideravit milites quadringentos & triginta, Duces duos: Mille & ſexcenti vulnerati ſunt. Miſſus eſt Viennam Vadamontius,

(*d*) Stèndardo dell' Agà de Gianizzeri.

(*e*) Timballe d' argento.

(*f*) Tamburi ad uſo de Gianizzeri.

tius, qui Cæſari nuntiaret debellatum eſſe. Poſt paulo cum ſignis ex hoſte captis Didricſtenius (a) ſupervenit. Eorum magnum numerum Superis dicari, Tholiſque ſuſpendi placuit, Religionis, Victoriæque monumento. Poſtero die Imperator, intra capta caſtra inducto exercitu, agendas gratias ſtatuebat Deo Maxumo, Superiſque faventibus. Secundum id prælium, immuniti trans Tybiſcum pagi omnes referti barbarorum ſpoliis, victoribus præmio ac prædæ fuerunt. Eugenius, quod hyems ſuberat, celeriter victoria utendum ratus, verſus Temeſvariam ducit exercitum. Arcem per ſe firmam Muſtapha collectis ex clade reliquiis compleverat. Sed victoriæ fama Cæſariani fore ut dederetur, confidebant, Turcis terrore perculſis, fugæque labore confectis, qui etiam nihil impeditum victoribus, ſibi nihil jam tutum arbitrarentur. Veruntamen corrupta tempeſtate, maximiſque repente coortis imbribus, Imperator cogitur exercitum in hyberna deducere. Magnam partem in Tranſylvania, ceteros in Pannonia collocat. Hybernaculis conſtitutis, ipſe ſtatuit expeditione in Boſnios proficiſci. Boſnii genus ſunt infidum, ingenio mobili, novarum rerum cupidum. Quos vident ex finitimis victores, iis plerumque ſua omnia, & Principatum deferunt. Regio aperta eſt omnibus partibus, firmis arcibus nullis: defenditur autem ſuis ipſa ſaltibus, difficilique per montes aditu. Eſt Serajum provinciæ caput, Forum rerum venalium totius Regni maxime celebratum. Sperabat Eugenius, faventibus popularium ſtudiis, ſe hoſtes inde ejecturum, recepturumque provinciam in Cæſaris fidem.

(a) Il Conte di Didricſtein.

Ad expeditionem Equites deligit ad IV. millia numero, Pedites ad duo millia: Cum his copiis proficiſcitur. Saltuoſa erant omnia, & impedita loca, ſed per antecurſores patefacta via, provinciam inopinantem ingreditur. Eodem tempore leves præmiſerat

turmas Equitum, ut regionem pluribus tentarent partibus, locisque exploratis reverterentur. Horum aliqui quamprimum redeunt, renunciantque latere hoſtes adventum exercitus. Id ea ratione intelligi, quod ſignificationes per turres impoſitas montibus fumo nullæ fierent, quas in novis rebus facere conſuerunt. Iis rebus cognitis progreditur, atque eodem die ab altera Equitum manu relatum eſt, eos veteri caſtello potitos, hoſtibus arbitrio ſe dedentibus. Caſtello Dobaj nomen erat. Dobaj fortunam Maglogum ſequitur, caſtellum mænibus paulo firmioribus inſtru-(a) Schebze. ctum. Triduo exercitus venit ad Schebzum (a), quo loco Palancam Turcæ defendebant trecenti vallis præcinctam firmis. Eugenius tormenta admoveri jubet, palationeque perfracta, Germani diſtricto ferro in hoſtem invadunt. Primis, qui auſi ſunt ſuſtinere, occiſis, reliqui fugæ ſe mandant, & oppidi mænibus recipiuntur. Mox legatis miſſis de deditione facienda, arma, ut imperatum eſt, proferunt. Præſidium oppido relictum nullum, munitio incenſa. Dum hæc fiebant, Chjaja, Muſtaphæ Præfectus, audito Cæſarianorum adventu, copias ſubito coegerat, caſtriſque (b) Brandack. prope Brandachum caſtellum (b) poſitis, ſaltus circum impeditiores effecerat truncis arborum tranſverſis, & grandium ſaxorum aggeribus. Sed præmiſſus ab Eugenio Kiba Trib. cum peditibus ducentis, parvoque equitatu, nullos non aſperos montium ſaltus ſuperabat. Per idem tempus in Equites hoſtium CC. incurrit. Hi Schebzum iter faciebant deditionis ignari, præſidioque futuri. Quos adortus Kiba, magnam partem interficit, reliquos dat in fugam. Chjaja qui ſe, ſuoſque locorum iniquitate tutos putabat, certior per fugitivos factus Cæſarianos nullis victos difficultatibus plenis ad ſe agminibus contendere, magna ac inſolita re perculſus, nihil magis quam de fuga cogitare cœpit. Sed poſtremum agmen aſſecutus Kiba eos

eos cecidit. Tantus fugientes terror invaſerat, ut magnos ululatus deſperati mitterent, ſeque e ſaltibus projicerent Cæſarianorum metu.

Eugenius interea exploratores Serajum miſerat, qui de Civium in ſe ſtudio referrent. Iis cum obviam fieret nemo, tum ex ſigniferis quendam maxime impigrum audacemque hominem deligit. Huic multa pollicendo confirmat, uti ad urbem accedat, ſua apud Cives legatione fungatur. Ejus rei cauſa, dabat quæ mandata perferri vellet, juſſeratque præire Tubicinem. Is ad urbis uſque adit portas: patefactas, nec præſidio defenſas ullo ingreditur, jubetque Tubicinem conclamare. Civium domi ſe quiſque ſuæ tenebat: audito ſigno egrediuntur. Proferuntur a Signifero Eugenii mandata. Spondebat Imperator, ſe nihil ab ſuis inferri conceſſurum injuriæ, ſi ultro Cæſarianos muris exciperent. Ad eas res perfidum genus hominum miſſilium nimbo reſponſum faciunt. Tubicen interficitur, Signifer ægre ſauciatus ad ſuos redit. Eugenius iratus Barbaris, apud quos Jura gentium nullo ſint loco, movet exercitum, infeſtiſque ſignis contendit injurias ultum, alte confirmans, non prius ſe abſceſſurum Boſnia, quam ſtirpe ſceleratorum hominum interfecta Serajum deleſſet incendio. Neque tamen a priſtina ſua lenitate potuit recedere. Nam florentiſſimæ Urbis commiſeratus fortunam, totque clade civium commotus, etſi iratus videbatur omnibus, tamen antetulit iræ pietatem, eoſque vetuit violari. Ne vero nihil videretur tribuere militibus pro læſa dignitate exercitus, domos prædæ loco diripiendas dedit. Sed dilapſi cives pretioſiſſima de ſuis bonis in arcem aſportaverant prærupto in monte ſitam, conſuluerantque rebus ſuis. Milites prædæ ſpe fruſtrati, inflammatiſque ad ulciſcendum animis irati ignem tectis injiciunt. Facinoris auctor compertus nemo. Ita Serajum deletur mercaturarum opinione illuſtre. Tur-

carum ibi Fana incenſa ſunt centum & quinquaginta. At Eugenius ubi hoſtes propugnationi intentos videt, ſimul graviſſimum fieri anni tempus, exercitum in Pannoniam hyematum reducendum ſtatuit. Itaque caſtellis, quot ceperat, oppidis, viciſque incenſis, multatis hoſtibus, regione latiſſime vaſtata, illam ut diutiſſime ſceleris pœniteret ſui, in Provinciam venit. Decem & octo dies in expeditione fuit, incommodo fere ſuorum nullo, integro equitatu, incruento plerumque exercitu; Milites omnino deſiderati ſunt quadraginta. Copiis omnibus in hybernis compoſitis, Viennam proficiſcitur. Sed Muſtapha tot acceptis cladibus animum ad pacis conſilia revocat; eaque poſtmodum ab leniſſimo Cæſare impetrata, relinquit Pannoniam. Ex ea tempeſtate Eugenius haberi magnus, ſpeſque Romani Imperii in illo ſitæ.

LIBER SECUNDUS

GALLICO bello tredecim annorum An.1716
confecto, eo ſtudia omnia con-
verterat Carolus Cæſar, ut Re-
ges in amicitia contineret, ſpem-
que & cauſam armorum relin-
queret nemini. Cæſar autem om-
nia tribuebat Eugenio, quod ejus
ductu magnas res ſecunda geſ-
ſiſſet fortuna, maximas provincias recepiſſet, eoque
res perduxiſſet, ut hoſtes ſatis haberent, ſi belli fi-
nem facere poſſent. Itaque quam in Raſtadiano con-
ventu pacem faciendam arbitrio Eugenii permiſerat;
eandem ita ejus conſilio retinebat, ut ex maximo bel-
lo pulcherrimam felicitatem conciliaret imperio. Quæ
cum res ex ſententia peragerentur, ac tantum otium
conſecutum eſſet, ut nulli tumultus viderentur multis
annis fuiſſe, de improviſo repentinum exarſit cum
Turcis bellum Purpuratorum Principis cauſa, cujus
perpetuum in Latinos odium maxime videtur graviſſi-
mas diſſenſiones concitaſſe. Hic Magiſtratus ſummam
inter Turcas habet auctoritatem. Plerumque enim
per ſe nihil agunt Reges, niſi quod Regnum adeptis
licet multo indulgentius eſſe otioſis. Ob eam rem
penes Viſirios eſt univerſi imperii adminiſtratio libera,
qui quæ libuerint occultant, quæque ex uſu judicave-
rint, Regi produnt. Bello plerique ſunt dediti, eo-
rumque minimas arripiunt cauſas. Id mihi ea de cauſa
facere videntur, ut opinionem virtutis obtineant,
quod hanc unam Turcæ laudem noverunt. Ejus com-
mendatione opes amplas, & magnam ſibi pariunt au-
ctoritatem, quod eſt apud ipſos omnium ſumma re-
rum gerendarum, bellique adminiſtrandi ratio. In pri-

mis autem per occaſionem belli, ablegatis a Regia Prætorianis, factiones omnes, invidiæque a ſe calumniam avertunt; quod Prætoriani genus ſunt hominum temerarium & ſeditioſum, per quos toto facile turbatur Biſantio: neque non ſæpe accidit, ut eorum cauſa Viſirii, detracto annulo regio, exauctorati dimittantur. Alyus itaque (id nomen erat Viſirio) aliquanto etiam majori odio nominis latini, quam ambitione aut cupiditate imperandi inductus, Regi ſuo (a) perſuaſerat contra Venetos bellum. Veneti Turcarum naves aliquot, quæ pyraticam faciebant, ceperant, eaſque demerſerant. Quamobrem Alyus Venetos criminis inſimulabat, cauſam etiam interſerens, quod contra pactiones retinuiſſent claſſem, regias naves expugnaſſent, ſuaque præſidia interfeciſſent: Repellendas porro armis injurias; quoniamque per ſe ipſi juſtam bello cauſam præbeant, Peloponneſum recuperandi occaſionem non eſſe prætermittendam, veterem provinciam Imperii ſuperioribus annis amiſſam: oſtendit perfacile eſſe iis inopinantibus Regno potiri. Id eo facilius perſuaſit, quod nulla erat ſuſpicio, quæ poſſet afferre periculum, diuturnoque bello tam erant exhauſtæ opes Cæſaris, ut neque ſi vellet, contra commoveri poſſet: Ad hæc, ſua eſſe in Romano Imperio diſſidia: Svecos, Danos, Saxones bellum inter ſe trahere veteri odio inflammatos, periculoque proximo abreptum iri Germaniam. His artibus Regem tanta cupiditate incendit bellandi, ut eum hoſtem redderet Venetis. Maximum vero totius imperii Concilium, quod eſt penes eorum Sacerdotes, aſſiduis obteſtationibus, conſiliis clandeſtinis, maxime tamen auctoritate permovet, ut bellum comprobarent. Ex illo audacius agere, bellum cogitare, copias inſtruere incipit.

(a) Acmet III.

Quæ cum rumore non dubio ad Venetos perferrentur, Legatos mittunt ad Cæſarem nunciatum, abs

Tur-

Turcarum Rege tot conſiliis Peloponneſum peti, quam provinciam obtinuiſſent in Caroliſtadiano Conventu (a), qua pace iterum Reſp. cum Auſtriis fœdus icerat. Eſſe ex amicitiæ fide, & ex majeſtate Romanii Imperii omnem a fœderatis injuriam prohibere, neque pati Barbarorum regnum perfidia creſcere. Id etiam ad ejus ſecuritatem pertinere: Neque enim barbaros ſibi temperaturos, quin Peloponneſo occupata in Cæſaris provincias impetum facerent. Quorum audita oratione Cæſar reſpondit, multa eſſe quare ſibi eam rem conficiendam putaret: De pace reconcilianda cum Rege acturum ſe, ſperareque nomine ipſo Romani Imperii Regem deterreri poſſe, ne injuriam inferret: Si non obtineret, Cæſarem non defuturum Reip. Secundum eas res, Legato ſuo Biſantium dat litteras cum his poſtulatis ad Acmetum Regem: Ad utriuſque Imperii felicitatem pertinere, pacem eſſe quam diutiſſime. Quoniam vero Acmettus contra Venetos compararet bellum, ſciret Caroliſtadiano fœdere eos cum Romano Imperio coiiſſe ſocietatem ea lege, uti mutuo ſibi auxilio eſſent. Itaque & pro veteri amicitia, & quod multa ejus belli incommoda eſſent ad ſe perventura, ab eo petere, quoniam ipſe ictum ab annis decem & octo cum Regibus Turcarum fœdus ratum habere vellet, placeretne Regi diſcordiarum finem Cæſaris arbitrio committere, ne qua eſſet armorum cauſa, aut ſi eſſet, ut minimo labore tolli poſſet? Se eſſe Cæſarem, daturumque operam non fruſtra, ut ſi qua illata ſit ei injuria, ſatisfiat. Hæ erant Cæſaris literæ. Rex ad ea nihil, niſi copias in armis eſſe celerius jubere, parari claſſes, equinas caudas, veluti juſtis ac præliaribus diebus, proponi, more majorum. Traditum eſt enim ab ipſo initio Imperii Turcici accidiſſe, ut congreſſi cum Latinis Turcæ prætorianum vexillum amitterent. Qua re cum excidiſſent animis, cederentque, Impe-

(a) Pace di Carlovitz.

Imperator repentino conſilio caudam uni equorum detractam extulit, vociferans. Hæc, hæc ſunto vexilla in poſterum, ducem ſequiminor. Qua rei novitate, ac Imperatoris exemplo excitati, prælium ſecunda redintegrarunt fortuna. Atque ex illo auſpicato equinas caudas præferre, & explicare conſueverunt, cum imminet bellum. At Cæſar, ubi nullam ſui, Romanique Imperii haberi rationem videt, alias dat literas, vehementer queſtus, quod ad æquiſſima ſua poſtulata reſponſum datum eſſet nullum. Igitur, quando nullo ſuo merito in ſociale bellum traheretur, profiteri, & ad id tempus ſe cum Venetis ſtetiſſe, & vero, quoad bellum foret, ſtaturum. Sed jam Turcæ idoneam nacti tempeſtatem cum maxima claſſe adnavigaverant, expoſitoque exercitu ingreſſi Peloponneſum, repente Naupliam ceperant, ac omnes ejus gentis cives abreptos, & impuberes pueros in Aſiam ad Regem miſerant.

Eodem tempore Alyus, qui ſibi omnem dignitatem ſpe exercituum, & Latinorum odio quærebat, graviſſime acerbiſſimeque incitaverat Regem contra Cæſarem, adeo ut toto Imperio accerſitas copias in Europam mitteret, & Pannoniæ fines militibus obſideret. Quibus de rebus cum fama in Germaniam eſſet perlata, Cæſar deſperata pace, rem fruſtra tentatam aliquando dimittendam ſtatuit, novumque ingratiis bellum ingreditur. Igitur Eugenio rerum ſummam, bellique rationes omnes permittit, tantum ejus virtute confiſus. Eugenius nihil expectandum ratus, quo Provinciam barbarorum terrore perculſam recrearet, legiones, turmaſque Equitum expeditas in Pannoniam mittit. Iiſdem diebus delectus ubique magnos habere inſtituit, Legationes Cæſaris nomine dimittere ad fœderatas Civitates, hortari Reges de auxilio, officio aliquos, auctoritate, qua propter res geſtas plurimum valebat, pleroſque demereri, auxilia-

liares ſocialeſque copias impetrare. Prætereà cum intelligeret, magno uſui futuram in Danubio claſſem ad cibariorum & bellici commeatus copiam, actuarias magno numero reficiendas, & naves ſeptem maximas ædificandas curat. At Viennæ indicto bello Templa omnia, ædeſque recluſæ ſunt: Superiſque omnibus perlitatum, ut id bellum Romano Imperio, ſociiſque, & nomini latino bene ac feliciter eveniret. Mox decreta ſupplicatione ad Divi Stephani *(a)*, divina res facta graviſſima cæremonia, ſtante Cæſare, obſecranteque immortalem Deum, quod de novo bello in animo haberet, ea uti re vellet juberetque Reip. terminos propagari, injurias a barbaris illatas probis omnibus, Religionibus ſacris, ipſis Cœleſtibus, pio juſtoque bello vindicari.

(a) La Catedrale.

Dum hæc Viennæ gerebantur, *(b)* Loffeloltzius acceptis ab Cæſare literis, Petrivaradino cohortes educit, & Mitrovitzam occupat, idoneum ad bellum trahendum oppidum ad Savum, ſupra tranſverſam foſſam ſitum, qua utriuſque deſcribebantur Imperii limites. Eam ob rem Tauruni Præfectus cum nuncios miſiſſet queſtum, quod contra induciarum fidem feciſſet, ad ea Loffeloltzius reſpondit, qua de re quereretur, id ab ſe factum mandato Cæſaris: Quod ſibi denunciaret leges violari, mirari quod hæc abs Turcis dicerentur, qui ſuperioribus diebus naviculis Savum invecti in Cæſarianos milites miſſilia hoſtili impetu conjeciſſent; Kal: Maiis noſtros mercatores Tauruni crudeliter percuſſiſſent, eorum bona incendiſſent, exercitum in armis eſſe contra Cæſarem juberent, nullum injuriis finem facerent, Caroliſtadianas leges, pactaſque inducias minus in dies ſingulos obſervarent. Hæc reſponſa reddebat: Simul nuncia abs Tranſylvania veniebant, Equitatum hoſtium ad multa millia conveniſſe, Prætorianorum vero XXX. millia expectari propediem. A ſpeculatoribus etiam nunciabatur,

(b) Barone di Loffeloltz.

armatorum ad XL. mill. Tauruni eſſe, labore ſummo itinera militaria refici, fluminaque conjungi pontibus. Quibus ad Eugenium perlatis, rebus omnibus conſtitutis, qua ratione res frumentaria, cæteraque celeriter ſubmitterentur; cum novis delectibus magnis itineribus Futacum contendit, quo loco pleræque Legiones conſtiterant; edictoque ad conveniendum die, luſtrat exercitum. Erant militum animi cum per ſe longa conſuetudine confirmati ad bellum, tum magnopere experrecti omnes, ac incitati Eugenii virtute, perpetuaque vitæ ejus felicitate, cujus Imperatoris ductu tot annis bellum fortiſſime geſſerant, Italiam, Germaniam, Belgium pacaverant, adverſa nunquam, ſecunda plerumque fortuna.

Interim cum ab exploratoribus certior fieret Imperator, barbaros in Savi ripa ſe ſe crebros oſtendere, viderique id eorum eſſe conſilium, ut de flumine tranſgrediendo cogitarent, miſſi ſunt delecti milites ad III. mil. cum Langletto Tribuno, qui Savum occuparent, longiuſque hoſtes progredi non paterentur. Langlettus diu cum in ripa fluminis conſtitiſſet, animadvertiſſetque hoſtium motus nullos, nactus occaſionem rei gerendæ progreditur, & Rathza oppido ad Drinum fluvium, nullo negotio potitur, navigiaque quatuor magna capit onuſta commeatibus. Turcarum erant eo loco ſena millia; atque ii Cæſarianos non ſuſtinuerunt, ſeque trans flumen receperunt. Langlettus tota regione quam petierat potitus, idoneum caſtello locum communit, foſſaque, munitionis tuendæ cauſa. At barbarorum omnis exercitus ad Taurunum conſederat, eodemque Alyus pervenerat cum barbarorum Equitatu, quos vocant Tartaros, ad millia triginta. Paucis ante diebus urbis magna pars Temeſvariæ, & XXX. amplius onerariæ repentino incendio conflagraverant Tauruni, cum magno frumenti numero. Ea res noſtris auxerat animos, Turcis haud

haud mediocrem terrorem attulerat, veluti prodigium triſte portendens perniciem. Erant etiam in magno metu Eugenii nomine. Hunc invictum poſt Zentanam pugnam adverſus ſtare non audebant. Divinam vero quandam ejus mirabantur ſapientiam, quod gallico tot annorum bello, tot factis præliis, adverſarium fere neminem niſi victum dimiſerat. Hoc autem magis inpræſentiarum dolebant communem miſerati fortunam, quod ad Alyum imperii ſumma delata fuiſſet, hominem rei militaris expertem. Plurimum etiam rebus ſuis timebant ob Cæſarianas Legiones, cum quibus veteranis, diuque in armis virtute magna verſatis, ipſas eorum congredi oportebat pleraſque ex novis delectibus copias; quæ multitudo inſolens belli, diuturnitateque otii fracta, nullum rei militaris uſum haberet. Iis de rebus omnium animi menteſque perturbabantur, projectique paſſim ſub pellibus fatum ſuum querebantur, neque a lacrymis temperare poterant, homines cæteroqui corporis morumque immanitate efferati. Alyus homo ſuperbe, crudeliter nequam, eos tamen in officio continebat, ne detrectarent imperium: & vero non minimum ad confirmandos animos valuit miranda hominis temeritas & fiducia, qui crebra oratione Germanorum copias deſpicere, ſuos, ſeque laudibus efferre conſueverat: Errare ſi qui arbitrarentur, hoſtium hunc eſſe exercitum, quem audierint gallico bello viciſſe: Majorem partem militum præliis & obſidionibus interiiſſe: Fœderatos, exercitus robur, in domos ſuas diſceſſiſſe: Quibuſcum foret pugnandum, pleroſque eſſe ex ſupplementis: Majorem in modum mirari, tam de Eugenii virtute mirifica prædicari: Quod ad Zentam vicerit, Muſtaphæ imprudentia magis, quam ejus virtute factum: Fœderatorum contra Gallias bello, plura quidem prælia, artificio tamen pleraque confeciſſe, aut opportunitate locorum; quæ res minimo illi com-

Digitized by Google

modo vertet in præſens : Iturum ſe porro, hoſtemque quoquo ſit loco ſecuturum. Tum vero ad omnes converſus, nemo ut eum non exaudiret, Bonus eſto tandem Imperator Eugenius, inquit; nego vero me non majorem periculo ſuo fore. Hæc inflate prædicare, magnaque arrogantia bellum adminiſtrare cœpit. Loca patefieri, itinera muniri, pontem in Savo effici imperare, ut ea exercitus Petrivaradinum ire poſſet, dementi ratione inſtare, feſtinare, celeriter omnia, propere fieri jubere. Turcarum gente eſt nulla, cujus aut magis otio labefactentur animi, aut contentione laboreque magis confirmentur. His igitur artibus ſenſim converſæ mentes; & brevi tantos animos ſumpſere, ut etiam adhiberent audaciam.

At in Cæſarianorum exercitu erat mira quædam alacritas, ſed gravis illa, & plena conſilii. Fortiter ſe gerebant milites virtutis ſecuri, quam multum quidem expertam fecerant ſuperioribus bellis. Tantam vero rei conficiendæ ſpem faciebat Eugenius præclaris factis, erecto ingenio, ſuapte quadam fortuna ingenti felix, ut crederent, illo Duce vinci nunquam, ſuperare quidem certe nullo alio magis poſſe. Barbari fruſtra vado multis locis tentato, demum inſtituto prope Caroliſtadium ponte, magnam exercitus partem Savum tranſmittunt. Hac re nuntiata, Imperator Palphium, virum & manu fortem, & conſilii plenum mittit cum aliquo Equitatu, ut eorum, qui trajeciſſent, numerum cognoſceret. Palphius Caroliſtadium, ad utriuſque fines Imperii oppidum, fere uſque proceſſerat, cum inopinato effuſis equis hoſtes numero ad VII. millia procurrerunt, & Germanos circumvenerunt. Erant numero impares noſtri, tamen a Duce, & virtute non deſerebantur. Itaque nulla in re Palphius negotio defuit, pronunciavitque, ut confertiſſimi in acie quadrata conſiſterent, omnemque ſpem in virtute ponerent. Quod cum fieret, initio hoſtes propius

pius accedere non audebant, & procul tela conjiciebant. Poſtea Palphianos cum cedendo ſenſim iter facere viderent, ſublatis clamoribus inſequebantur. Illi neque immanibus vocibus, neque incurſu deterreri. Barbarorum excipere impetum, modo adverſus multitudinem confertis equis acriter concurrere, modo rurſus iter leniter facere. Submiſſa etiam ab Eugenio auxilia noſtros firmaverunt, hoſtes aliquantum compreſſerunt. Ita Palphius impigre rem gerendo, conſtanterque, Turcas demum tædio, & deſperatione fractos abſiſtere ſequendo coegit, traduxitque Petrivaradinum copias. Breunerius (*a*) nobiliſſimus, & præſtanti virtute adoleſcens, cum fortiſſime pugnaret, & procurrendo audacius inſtaret, circumfuſus hoſtium concurſu capitur. In conflictu equi ſub Palphio adverſo pectore confoſſi duo. Quo tempore rerum viciſſitudo eſt animadverſa; Nam quem locum barbari annis antea fere viginti ſanciendis induciarum legibus eſſe voluerant, eundem renovandis inimicitiis delegerunt.

(*a*) Conte Breuner.

Poſtea Eugenius, concilio coacto, quæ ſibi & Rep. viſa eſſent, aperit: Conſtituiſſe, ſi, ut dicebatur, Alyus veniret, offerre ſe ad dimicandum, neu pati eum in Cæſaris fines progredi. Quæ conſentientibus omnibus cum probarentur, ſeque ejus dicto aſſuturos confirmarent, movet exercitum, & ad Danubium progreditur. Ad Petrivaradinum tres erant flumini pontes impoſiti. Hoſtes de ejus conſilio certiores facti, cymbas contra pontes magno actas impetu plures immittunt; atque earum incurſu nonnullæ naves, quibus pons prior inſternebatur, concuſſæ ſunt, locoque motæ; plura aliquanto ex ponte altero navigia disjiciuntur. Neque Eugenius propterea ullam ſibi moram ſtatuit, quare trajectum retardari vellet. Incolumi, qui ſupererat, ponte tranſduci peditatus cœpit. Mox Loffeloltzii diligentia refectis pontibus, om-

omnis trajicitur exercitus, & Petrivaradinum deducitur, idoneum caſtris locum. Arx eſt ipſa natura firma in colle excellenti, & difficili ad oppugnationem loco; fereque arcu Danubio concluditur. Ab occidente ſole, qua proſpectus eſt in planitiem, munitiones erant aggere duplici, foſſaque præcinctæ, quæ appellabantur caſtra Caprariana: Eas ſuperiori contra Turcas bello inſtituerat Caprara (a), continueratque Cæſarianos contra maximum hoſtium exercitum, atque eorum impetum mirabili arte, & patientia fregerat, victoſque regredi coegerat. Utrimque erant dejectus, a dextera aſperi præruptique in Danubium; a læva depreſſi in convallem, quæ in planitiem leniter declivem tantum porrigebatur, quantum loci aliquot explicatæ cohortes occupare poterant: Reliquum vero hujus ſpatium interſectum erat paludibus, uſque ad alteram Danubii partem. Neque non etiam a ſeptemtrionibus arx alluitur flumine. Hæ igitur manebant munitiones, tametſi diuturnitate temporis multis erant partibus labefactatæ, corruptis faſcibus, quibus agger conſtabat, foſſaque interrupta. In hunc campum, oppidi excelſi, & natura loci tutum, Eugenius inducit exercitum.

(a) Conte Enea Caprara.

Inter hæc Alyus, copiis omnibus Savum tranſductis, acceſſerat, & V. millibus paſſuum a noſtris conſtiterat. Eodem die barbari terram exhaurire cœperunt, & aggerem caſtris præſtruere. Neque eo contenti, temeritate quadam, incredibilique fiducia, acceſſus ad noſtras munitiones facere inſtituerunt; & tantam adhibuerunt celeritatem, ut obliquos ductus, a Cæſarianis caſtris ad paſſus quinquaginta, noctu una producerent. Qua ex re cognoſci potuit Alyi dementia, qui veteranum exercitum, hoc Imperatore Eugenio, tot rebus geſtis, tot tam claris victoriis præſtantem obſidere, & ad caſtra tentanda, veluti ad oppugnandam arcem, progredi auderet. Cæſariani mirabi-

rabilem eorum inſaniam demirari primum, tum indignatione, ac erumpendi ardore efferri. Eugenius non hoc erat animo, ut eorum ad caſtra pati vellet acceſſum, negareque poteſtatem dimicandi Alyo, qui eam rem uſque temere expetebat. Movebat Imperii majeſtas, auctoritaſque exercitus, cui plurimum tribuebat, ne gloriari poſſent barbari, Germanos a ſe circumſideri, neque audere confligere. Præterea quæ ſemper in ſuperioribus prælïis, eadem in præſens ratio occurrebat, ne hoſtem opperiretur in caſtris, quod ea res quandam timoris opinionem præbet militibus; contra autem, ubi æquo campo poſſit, hoſtes in certamen provocando, incitatio quædam animis atque alacritas oritur, quæ mirifice incendit exercitum, ac ſæpe accidit, ut in prælii partem vocet fortunam audacia. His de cauſis Imperator conſtituit exire caſtris, & pugna decertare. Exercitum dirigit in aciem duplicem. Majorem vero equitatus partem ad cornu lævum traducit, in cujus virtute ejus diei victoriam collocabat. Subſidiis imperaverat, uti pro caſtris ſtarent, neve injuſſu ſuo concurrerent. Pugnæ locum maxime opportunum deſcripſerat, ut exercitus a dextra prærupti montis altitudine tegeretur, a læva paludum ac ſaltuum tractu muniretur. Qua ratione compertum eſt, cum in ceteris, tum in Turcicis bellis, eum uſum fuiſſe, ut conſilio nanciſceretur loca idonea lateribus exercituum ſuſtinendis contra Equitatum, quo Turcæ plurimum valent.

Alyus, cognito Eugenii conſilio, celeriter efficere, ne eum hoſtis anteverteret, acieſque inſtruere cœpit. Erant cumuli circumundique, grumique paſſim, & difficiles valles. Ea loca omnia copiis ſuis occupabat; Prætorianorum vero maximam partem in apertis cuniculis, de quibus ſupra diximus, veluti in inſidiis continebat: reliquos in proximiore convalle ſiſtere jubebat. Omnem autem Equitatum ad dexteram

ram contra noſtros collocaverat. In dubio eſt quantum militum in utroque eſſet exercitu, auctoribus alibi millia quadraginta, alibi parte plus dimidia auctum numerum Eugenio tribuentibus. Hoſtium exercitus erat ad millia amplius centum quinquaginta. Cuſi poſt relatam victoriam nummi hoſtium conficiebant numerum CC. millium. Utrimque inſtructæ acies ſignum expectabant ineundi certaminis. Nonæ erant ſextiles Divûm Reginæ ſolemnes ſacræ, in quam diem Eugenius prælium contulerat, quaſi omen victoriæ felix futurum. Itaque Divam precatus, uti quæ gerenda eſſent, Rom. Imperio bene verterent, auſpicato milites arma capere, ſignum præcini jubet. Eodem tempore progreſſus caſtris (a) Virtembergius initium pugnæ fecit, & in hoſtes procucurrit, quem cohortes ſex ſunt proſecutæ: atque earum tantus ardor fuit, ut primo incurſu acies oppoſitas turbarent, tormentiſque potirentur decem. Poſt cum ſe Equitatus effudiſſet, Thraces equites omnes loco moti ſunt, & fugam fecerunt. Magna ceperat lætitia exercitum, quod ſine periculo, & prope ſine vulnere, celeriter confectum prælium videbatur. Sed cognoſci potuit, quam ſæpe res parvæ magnas commutationes faciant, quantoſque caſus in bellis afferat fortuna. Dum a læva equites celerrimam victoriam pepererant, pedites in magno periculo a dextera verſabantur. Cæſarianorum caſtra, uti diximus, ob vetuſtatem conſederant ſemiruto vallo, foſſaque multis partibus aggerum ruinis expleta: ac hiantes magis reliquiæ caſtrorum, quam reapſe videri caſtra poterant. Cum ergo directis ordinibus in certamen iretur, cognitum eſt, Germanos ratione nulla poſſe tranſcendere, & in acie conſiſtere. Quare everſo celeriter multis partibus vallo, peditatus agminibus conſtitutis octo evadebat. Eam rem conſpicati hoſtes, qui in apertis cuniculis latebant, cum magnas voces effudiſſent, erum-

(a) Prencipe Aleſſandro di Virtemberg.

erumpere, adoriri, aciem dirigi prohibere. Noſtri eorum impetum ſuſtinere, & magna vi contendere. Sed vehementer perturbabantur, quod neque ſubſequentibus locus dabatur, neque ordines promoveri, aut res militaris firmiter adminiſtrari poterat. Prætoriani invicem cohortati, quod magna ſpes erat conficiendi belli, omnibus partibus irruere univerſi. Eorum in congrediendo magnus eſt initio, acriſque concurſus. Igitur Cæſariani iniquitate loci, portarum anguſtiis, aggeris ipſius ruina ſub veſtigiis deficiente impediti, in tot partes abſciſſi, acie nulla conſtituta, pedem referre, intraque caſtra ſe recipere cœperunt. Turcæ Germanis inſtare: tumultu noſtrorum, & fortunæ beneficio uſi, vallum ſupervadere, omnia terrore miſcere; adeo ut, cum Legati regredientium ſigna prehenderent, nullaque in re communi ſaluti deeſſent, nonnulli eorum interficerentur, alii vi hoſtium a ſuis longe abſtraherentur. Itaque in tanta rerum perturbatione eventus varii ſequebantur. Bonevallius (a) in primis ordinibus conſtiterat, & fortiſſime pugnabat. Cum hoſtium circumfuſus numero, ipſo actus multitudinis impetu, in Turcarum caſtra abriperetur cum Legionariis ſuis ad CC., non animo excidit in tam magno diſcrimine; ſed ab virtute conſilium cepit, ſuiſque poſt aggerem hoſtium collocatis conſtitit, diuque locum tenuit, hoſtibus circumundique prementibus, quin tamen auderent accedere. Sed cum virtuti demum nullus daretur locus, a tanta multitudine conjecta tela vitari non poſſent, plerique confoſſi caderent, ac extenuata ad extremum acie, viginti & quinque, neque magis ſupereſſent incolumes; indignum putans ſua virtute, niſi hoſtes docuiſſet quid invicti poſſent Germani, recipiendi ſui conſilium capit, cohortatuſque milites, magno impetu per medios Prætorianos incredibili audacia irruptionem facit, perque omnium tela ſingulari ani-

(a) Conte di Bonneval, oggi Baſsà di Romelia.

mō & fortuna evadit ad Danubii ripam propiorem caſtris, reliquis ex tam parvula manu deſideratis decem; neque tamen magno ſine ſuo periculo. Nam cum omnes unum peterent Bonevallium, ut vivum eum, interfectumve tenerent, acinace in caput ictus repente ferme exanimatus concidit. Mox reſumpto ſtans ſpiritu, iraque incenſus, in Thracem qui ſe vulneravit, gladio irruit, confoditque; & viam ferro patefaciens per barbaros, quo intenderat, pervenit.

Sed neque propterea Legatorum virtus aut hoſtium victoriam interpellabat, aut noſtrorum periculum minuebat, qui a dextro cornu omni erant loco pulſi, & in fugam converſi. His tot malis hæc fere ſubſidia ſuccurrebant, quod copiæ, quas ducebat Virtembergius, erant adhuc integræ, Equitatus Cæſarianus, repulſis a ſiniſtra hoſtibus, caſtra eorum obtinebat; Prætoriani autem victores aperto fere latere, laxiſque pugnabant ordinibus: Quæ res quantum afferret periculum, Alyus non obſervabat, rei militaris propemodum expers, atque ignarus. Ad ſubitos belli caſus nullus fortaſſe Imperator fuit exercitatior Eugenio; magnitudine, & celeritate conſilii ſane eum nemo ſuperavit. Errore hoſtium animadverſo, Legatos, & Tribunos hortatur, uti paululum modo ſuſtineant; tum celerrime equo in cornu lævum ſe conferens, jubet Palphium Magiſtrum equitum cum aliquot turmis converſa ſigna inferre, & nudatum latus Prætorianorum impetere, qui magna vi aggrediebantur ad expugnationem caſtrorum, quibus ægre ſe peditatus defendebat. Palphius nihil ad celeritatem ſibi reliqui fecit. Tanto impetu, incitatis confertiſque equis, in hoſtes inopinantes fertur, ut eorum nemo conſiſteret, cohorteſque integræ adverſis equorum pectoribus proturbarentur, & calcibus protererentur. Hac hoſtium perturbatione noſtrorum animi redintegrati ſunt, & ſecundæ aciei educendæ lo-

locus fuit. Eodem tempore cohortes, quæ in ſubſidiis relictæ nuſquam erant prælium ingreſſæ, ſigno per Imperatorem dato, recentes atque integræ hoſtes invadunt; Tormenta ſimul omnia a Petrivaradino totos Turcarum ordines disjiciebant. Barbari tam multis incommodis conflictati, cum omnibus Cæſarianos partibus circumfundi, ſeque interfici viderent, laſſitudine exanimati, vulneribus confecti, receptui timere, & retro celeriter regredi cœperunt. Hic quemadmodum initio munitiones noſtris cauſa perturbationis fuerant, ſua hoſtibus opera, atque cuniculi, cauſa cædis fuerunt. Fugientes enim in foſſas, obliquoſque in terra ductus, quos fecerant, proruebant; ſupraque alios alii ſe præcipitabant, Germanorum maxime equitatu perculſi, qui quidquid obviam fieret, proſternebat. Terrore omnia, fuga, cæde complebantur, & tanta univerſos trepidatio ceperat, ut effuſiſſime fugientes arma abjicerent, caſtra, tormenta, rem omnem bellicam victoribus cederent. Alyus cum ſuos nulla ratione poſſet continere a fuga, caſtra a Cæſarianis tenerentur, furore extremo, deſperationeque inflammatus, arreptis equitibus bis mille, in noſtros ſe confertiſſimos conjicit, & fortiter pugnans arrogantiæ labem morte præſtanti delevit.

Hoc prælio hoſtium cœſa ſunt millia amplius XX., magnus numerus captus eſt, cum ſignis militaribus centum ſeptuaginta, tormentis centum & quinquaginta ſex. Victores ad tria millia ceciderunt, bis mille vulnerati ſunt. Deſiderati Tribuni V., Duces tres, cum Joanne Palphio viro forti, qui initio pugnæ, cum fuga a ſuis fieret, neque perturbatos retinere poſſet, in hoſtes plenis ordinibus ſe inferentes equum impulit, &, ut fortem decet, occubuit. Ejus virtutis tanta apud hoſtes admiratio fuit, ut corpus eodem veſtigio Taurunum aſportari curarent, quod deinde pro hominis dignitate amplo funere extule-

tulerunt. Eugenius fugientes longius perſequi vetuit; qui tametſi erant profligati, tamen tantas habebant reliquias copiarum, ut etiam cum his opprimere poſſent victores. Ipſo meridie Imperator Viſirii tabernaculum ingreſſus, vindici Deo, Divûmque Reginæ, in cujus tutela Rom. erat Imperium, laudes grateſque egit, quod clade hoſtes affeciſſent, ſe voti compotem feciſſent. In caſtris videre licuit Alyi crudelitatem. Circa Prætorium, noſtrorum, quos captivos fecerat, erant præfixa longuriis capita. Ipſum præterea Breunerii corpus, quem initio captum demonſtravimus, ante tabernaculum jacebat recenti ſanguine conſperſum. Illum ante fores toto eo tempore Alyus catenis vinctum detinuerat, & poſtquam ſuos profligatos vidit, jugulari juſſerat, præclarum Ducem, de quo non ſolum bene ſperare, ſed confidere Cæſariani poſſent, magnum futurum bello virum. Victoriæ nuncii quanta maxima potuit feſtinatione Viennam miſſi ſunt, & plauſtra quatuor onuſta ſignis militaribus.

Hac pugna pugnata Eugenius, ut qua celeritate vicerat, victoriæ fructus caperet, Temeſvariam ducit exercitum. Hoſtes poſt cladem urbem communiverant, magno inducto præſidio. Loco autem forti Urbs ſita, nonniſi a ſeptemtrionibus oppugnari poteſt, propterea quod ab oriente ſole, & occaſu, planities eſt omnis interrupta Bega & Themeſio fluminibus, quæ in diverſas partes ſcinduntur. A meridie, interjecto mediocri ſpatio, qua iter eſt Taurunum verſus, reliquus campus paludibus impeditur, in quas duo, quæ diximus, flumina influunt, & ſubſidunt. Eugenius medium hoc ſpatium celeriter occupat, & aggerem adverſum a Tauruno venientibus extrui curat, ne qua ſubmittantur auxilia. His munitionibus Palphium Magiſtrum equitum præficit. Ipſe cum exercitu caſtra ad eam partem ſtatuit, quæ vergit ad ſemp-

ten-

ſentriones. Paludibus fluviiſque pontes undique imponit, ut conſtitutæ locis ſingulis ſtationes, præſidiaque, cum omni exercitu communicarent. Cum aggeres ab Eugenianis fierent, barbari ſunt auſi erumpere; qui repulſi, concluſique operibus, ſe intra Palancam immiſerunt, quæ profundiorem foſſam habebat, muroſque exſecto lapide duriſſimo obductos, Cæſariani contra eam munitionem ejuſmodi opera inſtituebant, ut itineribus duobus obliquis in infimo ſolo apertis, diverſis partibus ad cornua munitionis accederent. Quæ cum res maxima diligentia adminiſtraretur, neque hoſtium machinis ad ſaxa jacienda idoneis milites deterrerentur, opera brevi perduxerunt, unde muri quati, machiniſque ignitarum glandium multitudo jaci poſſet, qua re vehementer conflictabantur Turcæ. Cæſarianorum cuniculi haud longe aberant a munitione, cum barbari noſtrorum opera inflammare conati ſunt. Faces, & picis glebas ſinguli afferebant cum malleolis, ad incendendum aggerem, & tentoria, ſi poſſent. Quos conſpicati legionarii, qui pro caſtris excubabant, celeriter ſubmoverunt, intraque Palancam compulerunt, detrimento caſtrorum nullo.

Dum hæc ad Temeſvariam geruntur, Turcarum omnis multitudo, quæ a prælio aufugerat, Taurunum convenerat numero ad XXX. millia, ducemque ſibi delegerat Muſtapham urbis Præfectum. Hic, quoniam nunciabatur Temeſvariam quotidie magis premi, neque deeſſe multum, ut deditionis ſubiret conditionem, omnibus modis docet huic rei ſtudendum, ut pati nollent firmiſſimam urbem Cæſarianis dedi, tum optime meritos de Rege Cives, & armatorum hominum XV. millia morti, aut perpetuæ ſervituti addici. Quid vero, ajebat, veremini, aut cur de viribus veſtris dubitatis? Quod errore quodam, & caſu magis, quam virtute hoſtium victi eſtis, prop
tereane Cæſaria-

nis tantum tribuetis, ut invictos arbitremini? Quam vellem Dii injeciſſent Alyo mentem, ut pulcherrima, quam initio pepereratis, victoria ſapienter uteretur, & belli caſus metuens, ne evenirent, providiſſet! Sed ille fortuna elatus, eſt abuſus victoria. Me ſi modo conſulitis, confirmo, ſi Temeſvariam proficiſcimur, non modo auxilia obſeſſis ſubmiſſum iri, veruntamen etiam fore, ut eruptione a præſidiariis facta, imminuti hoſtes Petrivaradiniana pugna, intentique operibus, impares ſuſtinendo ſint. Sententia dicta, conclamat omnis multitudo more ſuo, & profectionem indicunt. Equites ex omni numero octingenti deliguntur, qui habebantur fortiſſimi. Hi Prætorianos totidem in equis accipiebant. Singuli afferebant ſaccos frumenti, hordei, bellici pulveris, & reliquarum rerum, quæ uſui ſunt in defendendis urbibus; atque iis erat imperatum, uti cum ab omnibus partibus impetus contra hoſtium vallum fieret, intentis prælio Germanis, nacti commodiſſimum tempus, in arcem per eorum caſtra contenderent. Rebus ita conſtitutis, fiducia pleni proficiſcuntur.

Palphius præerat munitioni, quæ erat exadverſum a Taurino venientibus. Igitur cognita hoſtium profectione, Eugenium certiorem fecit. Imperator moram omnem cum periculo fore intelligens, eodem tempore ad Palphium deſcendit, deductis cohortibus undecim cum parte equitatus, & tormentis curulibus XXIV., quæ temere farciri juſſerat. Hæc ſero veſpere peracta ſunt, neque multo poſt hoſtium advenientium clamor exaudiri cœpit. Illi cum magnis ululatibus propterea ad munitiones accedebant, ut de eorum adventu obſeſſi cognoſcerent. Eugenius equitatum omnem e caſtris eduxerat, eumque idoneo loco collocaverat, ut hoſtes circumvenire poſſet. Hunc barbari adoriuntur magno numero, tantumque conantur demorari, ut reliqui munitionem tentare poſſent. Hoc loco dum fortiter pu-

pugnatur, ceteri audaciſſime in omnes munitionum partes circumfundi, vallos evellere, caſtra ſuperare, loricam ex aggere manibus exſcindere conabantur. Sed ordines integri tormentorum ictibus dejiciebantur, infinita multitudo vulnerabatur. Magno cum detrimento repulſi, neque tamen animum demittebant. Paululum morati, quantum ſatis eſſet ad reſtituendos ordines, iterum, & tertio omnia tentare, omnique ab latere urgere. Tantam virtutem Prætoriani præſtabant, ut dejectis, & coacervatis eorum, qui interficiebantur, cadaveribus, foſſas æquare, & veluti per tumulos aggerem ſupervadere ſtuderent. Eos noſtri tuto miſſilibus tormentiſque e vallo petebant. Interim equites, barbarorum perfractis copiis, qui eos auſi erant ſuſtinere, perque horum corpora impulſis equis, pugnantes circumveniunt, omnique loco cædunt. Omnia experti Turcæ, deſperata demum oppugnatione caſtrorum, terga vertunt, & fugam faciunt. Hoc prælio interfecta ſunt ad millia IV. Prætoriani pertinaciſſime pugnantes ad unum ſunt omnes cæſi.

At qui obſidebantur, cum toto pugnæ tempore nuſquam ſe commoviſſent, prima luce ſub prælii finem cum magno peditum & equitum numero portis ſe foras erumpunt contra Eugeniana caſtra. Deinde cum & legiones viderent veteri inſtituto pro caſtris excubantes, & diſceſſiſſe ſuos cognoſcerent, re infecta regrediuntur. Tum, aut capto ab deſperatione conſilio, aut ne repulſis ſuis faterentur ſe ſe victos, præuſtam materiam, picem fervefactam, glandes ignitas, ignem e mœnibus tantum conjiciunt, ut ſecundo flante vento, aggeres, vineæque magna ex parte conſumerentur. Cæſariani, quæ fuerant flammis corrupta, maxima celeritate reficiunt: Eoque brevi eſt res perducta, ut ad Palancam expugnandam aditus pateret. Sed poſt hoſtium aggreſſionem, & flammarum per-

perniciem, erat ipſa Eugenio fluviorum perferenda injuria, anteaquam arce maxima potiri poſſet. Tantam enim Bega auctus imbribus repentinam eluvionem fecit, ut caſtra fere compleret. Demum operibus reſtitutis, Eugenius pridie Kal. Octobr. delectos legionarios ad III. M., ducente Virtembergio, citos ire ad expugnandum jubet. Hoſtes, ut id eveniret fore rati, pro mœnibus ſteterant, omniſque generis miſſilia & ſaxa in ſubeuntes provolvebant. Ea re nil territi Germani, mira audacia procurrebant, neque illos tormenta, aut ſuperſtantes armati arcere poterant. Ipſam murorum labem primo impetu inſedere. Furore efferati Turcæ contra obniti, patentes murorum hiatus appoſitis corporibus protegere, acerrime certare. Sed jactis undique ſupra foſſam pontibus, magna noſtris opportunitas dabatur, quaſcumque vellent, copias traducendi. Quare undique in muros evadebant, & impreſſionem faciebant. Hoſtes acinace, in quo vibrando a pueritia conſueſcunt, pertinaciſſime rem gerere, & capta fere propugnacula ſuſtinere. Ad extremum indignantes Cæſariani, quod diutius aſpectum ſuum ferre auderent hoſtes, & ad rabiem prope converſi, ſica pyrobaliſtæ labro præfixa invadunt, occupatiſque propugnaculis, a lævo primum Palancæ latere, tum a totis munitionibus inſequendo propellunt. Sed tantus viciſſim Turcas ardor invaſerat, ut in ſuburbii compitis, quod Palanca continebatur, confertis manipulis reſtitarent, & certamen omnibus partibus redintegrarent; & tanta eſt pertinacia ac inſania pugnatum, ut vitam cupidius ipſi projicerent, quam hoſtis eriperet, & inflammandis undique ædificiis certarent, ne præter ſolum, quidquam ſupereſſet victoribus, qua re ad urbis oppugnationem adjuvarentur.

Reſtinctis flammis, conjectis omnibus intra urbem Turcis, Cæſariani Palanca potiti loricam præſtruere, opera producere cœperunt contra urbem. Munitione amiſſa

amiſſa neque vero animo barbari exciderunt; ſed uſque temere ſe comparabant ad propugnandum, & nullo temporis ſpatio intermiſſo, caſtra tormentis laceſſebant. Noſtri diurno nocturnoque labore exſtructis operibus, quamprimum tormenta quinquaginta contra urbem conſtituunt. Tum maxima mœnium ruina urbs quati, glandium vis magna tectis omnibus ſuperfundi. Turcæ cum magnos hiatus muri ducerent, neque difficilem aſcenſum præberent Germanis; nulla autem auxiliorum ſpes foret, deſperata defenſione, neceſſitate magis, quam voluntate Legatos ad Eugenium mittunt, & deditionem faciunt. Ita diebus quatuor & quadraginta urbs capta. Cæſarianorum millibus quatuor ſtetit oppugnatio; atque hoc numero Temeſvaria tanta urbs capta, natura loci, arce, palanca, numero non magis, quam temeritate defendentium in primis firma; poſtque annos centum & ſeptuaginta rurſum in poteſtatem Cæſaris redacta eſt. Turcarum tria millia occiderunt, millibus duodecim abeundi Taurunum poteſtas facta. Quorum Eugenius magis clementia ſua, quam quod ſingulari pertinacia ita ipſi eſſent meriti, veluti ſociorum rationem haberi juſſit, ne nulla afficerentur injuria. Cum urbe magna vis armorum in victorum manus venit, recuperataque ſunt tormenta centum & viginti gentilitiis Auſtriorum ſymbolis impreſſa, quæ pluribus præliis capta eo hoſtes conduxerant. Poſt Temeſvariam caſtella paſſim portas noſtris recluſerunt, & in fidem Cæſaris conceſſerunt. Valachi etiam, miſſa legatione, ultro ſe ſuaque omnia Cæſari commendabant; Nam poſt Petrivaradinianam victoriam, & expugnatam Temeſvariam, de Eugenii virtute tanta erat opinio, ut in finitimis provinciis ad deditionem fere omnia inclinarent. Earum rerum fama Romam perlata, ſupplicationes decretæ, ſolemneſque habitæ ſunt grates Superis immortalibus. Clemens autem (a) qui ſummum Pontificatum gere-

(a) Clemente XL

gerebat, præclaræ ſuæ in Eugenium ſignificatione voluntatis, Gladium, Pileumque ſolemni ritu ſacrum, cum ampliſſimis ad eum litteris miſit, ob Remp. præclare defenſam, multatos hoſtes, Latinum Imperium auctum finibus. Eugenius Pontificis muneribus Javarini acceptis, Hybernis conſtitutis, relictoque (a) Mercio Legato, qui præeſſet exercitui, Viennam proficiſcitur.

(a) Il Conte di Mercì.

LIBER

LIBER TERTIUS

DISCEDENS ab hybernis Eugenius Legatos, quibus erant ſingulis credita regionum imperia, admonuit, uti excurſiones quas poſſent maximas in hoſtium fines facerent, provinciaſque vexarent. Id eo fieri conſilio juſſerat, ut Acmetus Rex, ſi, ut erat fama, bellum forte renovare conaretur, vaſtatis agris, abductis jumentis, quam exhauſtiſſimas haberet regiones, reque frumentaria, & duris ſubvectionibus laboraret. Turcarum poſt Temeſvariam captam erat manus certa nulla, neque exercitus. Petrivaradinianæ cladis reliquiæ Tauruni ſe ſe plurimum continebant, nonnulli oppida & caſtella inſederant, in quæ commeatus, magnum pecoris, & frumenti numerum comportari jubebant, ne primo tempore ulla res deeſſet redintegrando bello. Igitur Cæſariani, audacia & virtute adhibita, crebris expeditionibus excurrebant, & regiones latiſſime vaſtabant. Caroliſtadio (*a*) in Croatia præerat Rabatta (*b*), vir magnæ virtutis & animi. Is Eugenii mandatis rem pluris nullam faciens, peditibus delectis mille, equitibus quingentis fines hoſtium ingreditur. Nihil non conſilio celeritateque perficit. Oppreſſis Turcarum præſidiis, vicis compluribus, palancis duabus cum hoſtium clade ſuperatis & incenſis, boves trecentos, ex pecoris numero capita octingenta, equos & jumenta multa capit, & in provinciam integras copias reducit. Non multos poſt hos dies Quintana (*c*) Pro Trib. duce utitur ad parem expeditionem. Neque hic minus prudentia quam felicitate adjutus eſt. Namque magnum hoſtium agmen ino-

An. 1716
1717.

(*a*) Carloſtat.

(*b*) Conte Rabatta.

(*c*) Tenente Colonello Quintana.

Digitized by Google

inopinato adortus cædit, oppida ſex fœno, & commeatibus referta diripit, palancas vi duas capit, prædam abducit ex omni boum, equorum, & pecoris multitudine capita amplius nongenta. Eodem fere tempore, qui in Tranſylvania hyberna fecerant, in Moldaviam progreſſi ad Jaſſii (a) uſque mœnia, quæ urbs eſt provinciæ caput, ad Prutum fluvium excurrebant, hoſtium agris, ædificiis, pagis depopulatis. Quas ob res tantus hoſtes terror invaſerat, ut quoquo ſe loco oſtenderent Germani, eos nemo auderet aſpicere in acie; oppida autem voluntate magis, quam vi deditionem facerent, & Turcarum annonam proderent. Danubio etiam ſæpiſſime ad prædam procurſum eſt, captæ onerariæ ſeptem cum magna frumenti copia, claſſiſque eſt barbarorum ad Gratianam (b) omnis pulſa & fugata.

(a) Jaſſi Capitale della Moldavia.

(b) Gradiſca

Sed in Valachia res eſt maxime e Republica geſta. Valachi, ut ſupra demonſtravimus, Cæſarianis partibus ſtudebant, reſque erat prope inclinata, ut ſe ſuaque Cæſari crederent. Eam ob cauſam Maurus Cordatus, qui ſummum regionis principatum abs Turcarum Rege obtinuerat, quem Dynaſtam Hoſpodarum appellant Valachi, averſos a ſe popularium animos metuens, Buchoreſti (c) ſe continebat, quod caſtellum per ſe firmum accitis barbarorum copiis communierat. Eos autem, extructis circa arcem munitionibus, & in agro paſſim parvulis caſtris conſtitutis, in ſtatione eſſe jubebat. Eodem obſides ex omni provincia viros duodecim principes, & nobiliſſimos quoſque carceribus incluſos detinebat. Iis autem omnes erant cruciatus perferendi, niſi a ſuppliciis ſe graviſſimis auro argentoque redemiſſent. Quare ex Nobilium numero nonnulli, ejus metu ſatellitum, cum diu in ſylvis abditi delituiſſent, profugerant in Tranſylvaniam. Steinvillus (d) provinciam pro Cæſare moderabatur: Ad eum cum ſe contuliſſent,

(c) Buchoreſt.

(d) Conte di Steinvill.

ſent, magnis precibus ſibi ſuiſque auxilium poſtulabant: Niſi quid in Cæſare ſit auxilii, eos in miſerrima omniumque graviſſima fortuna verſari; Maurum Cordatum ſibi imperare, nequam hominem, qui multa crudeliter avareque feciſſet, Valacos oderit, opes eripiat, nobiliſſimos quoſque, ipſos Superorum Immortalium Sacerdotes, & Pontifices carcere morteque afficiat, imperium per omne ſcelus exerceat. Eos Steinvillus verbis confirmat, ſpondetque ſibi curæ fore, ut Provinciam immerentem, & innocuam quamprimum a ſervitute, & crudelitate ſcelerati hominis liberaret. Secundum ea Dettinum Pro Trib. fortem virum ad ſe vocat, quid ſui conſilii ſit, aperit, ſecreto occultoque quæ fieri oporteat, docet. Mandata erant de Buchoreſto tentando, ipſoque Dynaſta intercipiendo. Ad eam rem, quæ ſummam diligentiam & virtutem poſtulabat, Dettinus audaciſſimam militum manum, & ex Raſcianis trecentos fortiſſimos deligit. Cum his proficiſcitur copiis, admonitis ſuis celeritate opus eſſe, remque occaſione magis, quam prælio eſſe gerendam. Tanta eſt uſus diligentia, ut longo circuitu prius Buchoreſtum cum ſuis pervenerit, quam Turcæ eum ſcirent profectum. Quo factum eſt, ut milites ſigno dato adorti præſidia, omnes imparatos, imprudenteſque offenderent; atque his brevi aut disiectis aut cæſis, munitiones firmas quatuor caperent. Eodem momento Dettinus tranſcenſis munitionibus, & caſtra, ubi dimicabatur, tranſgreſſus, repentino impetu caſtelli ponte potitur. Barbari qui oppidum defendebant, nilque hoſtile metuebant, viſis improviſo Germanis, rerumque ignari, quod incredibili celeritate exteriores munitiones fuerant ſuperatæ, arma raptim capiunt, ſumma trepidatione in viis & compitis reliquam defenſionem comparant. Hic dum acriter pugnatur, omneſque eodem præſidiarii milites convolant, interim Raſciani diver-

ſis

ſis partibus aſcenſu ſuperatis mænibus, ſe in oppidum tripartito agmine inferebant. Ad locum pugnæ cum perventum eſſet, facto impetu hoſtes a tergo invadunt, magnam multitudinem trucidant, reliquos dant in fugam. Ii partim ex aliis oppidi portis evaſerunt, partim a mænibus in foſſas deſilientes, ſe ex manibus Germanorum eripuerunt. Ita brevi Buchoreſtum capitur, ac tanta fuit in his gerendis celeritas, ut Maurus Cordatus eodem fere tempore munitiones, oppidum, ſeque a Cæſarianis captum cognoſceret. Eum Dettinus in Tranſylvaniam ad Steinvillum cum præſidio miſit, præmiſſis nunciis, ut in poteſtate Dynaſtam, conjugem ejus, liberoſque una quatuor eſſe, & adduci ſciret. Poſt ea refractis carceribus, obſides in domos quemque ſuas abire jubet. Redeunti in provinciam (a) Furnum, frequens caſtellum in Morlachia deditur: Barbari autem ad mille, qui occurrerant, ad unum omnes interfecti ſunt. Ita onuſtos præda milites, & magna virtute claros reducit, amiſſis ex omni numero vicenis.

(a) Furn.

At Viennæ, tametſi acciſis viribus non videbatur Acmetus poſſe redintegrare bellum, tamen Cæſar jubebat majores ſuperiore anno copias in armis eſſe, ſi exercituum metu Rex ad pacis conſilia redigi poſſet invitus. Hac de cauſa ab Italia & Belgio evocabantur legiones veteranæ; dimiſſæque quoquoverſus in Germania Legationes, quæ auxilia arceſſerent a Regibus, fœderatiſque Civitatibus. Supplementa etiam decreta legionibus, novique militum delectus imperati: atque eorum tanta fuit multitudo, ut brevi hominum millia quindecim conſcriberentur: ejuſmodi cum Eugenio eundi ardor omnes ceperat. Erat enim perſuaſum univerſis, tantum bello virum neminem uſquam eſſe; quare victoria, laus, præda in oculis erant omnium. Plerique etiam militia & fama clari omnibus partibus Duces, Principes viri, regia-

giaque prognati ſtirpe Adoleſcentes, ab Gallia, Luſitania, Bavaria, omnique Germania conveniebant, ut Eugenii auſpicio ductuque prima belli rudimenta ponerent. Interim ſubmittebantur a fœderatis auxilia, atque in Pannoniam exercitus omnis contendebat. Quæ cum res ad Acmetum Regem afferrentur, omni feſtinatione bellum comparat. Ex Aſia, ex Ægypto, & Rhodo, & Creta, atque Cicladibus ſupplementa deducit; a ſubjectis Regibus & Tetrarchis milites accerſit, omnes ab omnibus partibus copias deſcendere in Pannoniam jubet. Magna tributa imponit iis maxime, qui ſunt ex Latinorum conventu; magnam Syriæ, magnam Macedoniæ, omnique Greciæ imperatam pecuniam exigit.

At Tauruni copiæ pleræque conveniunt, quo primum fore Cæſarianorum impetum vident. Arcem munitioneſque reficiunt, toto conquiſitas Danubio naves contrahunt, ut noſtros tranſitu fluminis prohibeant. Ejus rei cauſa omni in ora fluminis diſtribuerant claſſem, & littora diſpoſitis præſidiis occupaverant; omnibus conſiliis uſi urbis maximæ defenſionem apparabant, quæ una ipſis arx erat, armamentarium, omniumque rerum, quæ ad bellum uſui ſunt, receptaculum in finibus Romani Imperii. Urbs autem natura loci manuque ſic muniebatur, ut difficillimam haberet oppugnationem, propterea quod in colle ſita eſt, atque eam ab occaſu & ſeptemtrionibus flumina ſubluunt duo, Danubius & Savus, qui confluentem eo loco, ac Inſulam efficiunt, quæ portum tutum claſſibus præbet. Altitudinem collis arx inſidet, eaque a meridie in ſubjectam planitiem porrigitur, atque omnis firmis propugnaculis, & triplici murorum ambitu continetur. Concilio Viennæ habito, conſilium Eugenii fuerat, ut Taurunum oppugnaretur: quæ res etſi magnas videbatur habere difficultates, tamen Cæſar Eugenio omnia, neque ſine cauſa, tribuens,

buens, in ejus ſententiam conceſſit. Nam poſtquam exercitibus præeſſe cœperat, nunquam non ejus ceptis Fortuna obſecundaverat. Ad Pannoniæ res vero ſe referens, cum reſpiceret hoſtes bis acie victos, caſtris exutos, Temeſvariam captam, Provinciam liberatam, atque ea omnia unius virtute & conſilio Eugenii facta; veluti ab immortalibus Superis accepiſſe ſibi videbatur fatalem in exitium Turcarum Ducem. Igitur re omnibus probata, Eugenius in Pannoniam proficiſcitur. Atque eum antequam Vienna diſcederet, Carolus Servatoris hominum, & Domini ſigno aureo magnifice donatum admonuit, uti tanto bellum Duce gereret, ſeque, ſi poſſet, aliquanto etiam ſe ipſo majorem præſtaret: cui reſpondit Eugenius, daturum ſe operam ne fruſtra eſſet expectatio Cæſaris, eum auſpiciis modo ſuis proſequeretur. Poſtea in Pannoniam contendit.

Nuſquam fortaſſe par alias Germanorum exercitus in armis fuit. Armatorum fere erat numerus centum millium ex legionibus pleriſque veteranis, quæ belli laboribus, omnium rerum patientia duruerant, multoſque annos caſtris, præliis, obſidionibus, ac oppugnationibus aſſueverant. Occurrebant Tribuni viri fortes, qui caſtrenſes coronas, muralesque pluries eſſent meriti, præſtantiſſimi ſcientia rei militaris Duces, ipſi magnis Imperatoribus pares, uno minores Eugenio. Tantum exercitum eſſe in caſtris diu non eſt paſſus Imperator, & Tybiſco, Bega, Themeſio fluminibus trajectis, ſupra Panzovam conſedit, quo ferme loco Danubius in duas partes diffluens Inſulam efficit magnam; atque eam partem, quæ diffluit, Donavitzum Germani appellant. Eugenius Mercio mandaverat, adhibitis foſſoribus, uti fluenti alveum conductis rivis tantundem curaret augeri, quantum ſatis eſſet ferendis navibus aquarum magnitudo. Qua re navigationi conſulebatur, ut procul ab arcis miſſilibus

bus tuto navigia ſupra Taurunum deduci poſſent. Atque eam rem Mercius prius perfecerat, quam quid fieret hoſtes intelligerent, & poſſent aut auderent opus prohibere. Hinc actuariæ magno numero ad exercitum adnavigarunt, ſteteruntque è regione Viſnitzæ, quod duabus fere leucis oppidum eſt ſupra Taurunum. Erat Cæſarianis trajiciendus neceſſario Danubius, ſi urbem obſidere vellent, quæ res, niſi ponte jacto effici non poterat. Turcæ ex eo tempore quo naves convenire cœperant, in adverſa ripa conſtiterant, munimentiſque ex aggere effectis noſtros laceſſebant, terrendi cauſa, & trajectus impediendi. Sed neque Eugenius opus intermittendum ſtatuit, confiſus virtute exercitus. Cohortes amplius triginta navigiis imponit. Eas committit Brovnio (a), monetque, ut ſimul ac terram attigerint, idoneum locum nactus copias contineat, & aggerem præſtruat. Æratæ naves duæ tormentis centum defendebant claſſem. Hæ ſigno dato progreſſæ ſe in hoſtes incitaverunt, magnaque miſſilium, & tormentorum vi eos ab ora fluminis paulum modo pedem removere coegerunt. Eodem tempore Brovnius claſſe remis incitata provehitur. Eum cum pari militum numero ſequebatur Mercius: Qui cum pulſis tympanis, clangentibus ex ære tubis, explicatiſque procederet ſignis, magnus eſt hoſti terror incuſſus. Prior Brovnius apprehendit ripam; poſt eum Mercius. Expoſitis militibus, celeriter naves remittuntur, ut reliquæ legiones tranſportarentur. Hoſtes qui magna manu incurſum in noſtros aggredientes facere cogitabant, audacia eorum fortitudineque deterriti a littore diſceſſerunt, & in ſuperiores colles ſe receperunt. Tantundem fere militum cum tranſvectum eſſet tertio commeatu, navigiis iiſdem adhibitis, pons fieri cœpit. Turcæ quoniam prohibere non poterant, colles relinquunt: pars Semendriam verſus, alii Taurunum diſcedunt. Ponte effecto,

(a) Conte Camus di Brovvn.

to, exercitus traducitur ad unum omnis incolumis. Eugenius, nulla mora interpoſita, arcem exploratum proficiſcitur. In eum, cum ex urbe Thraces equites ad mille numero incurriſſent, unus omnium temere in medios equites, qui erant Imperatorem ſecuti, ſe conjecit, conſpicatuſque Eugenium, equum incenſum calcaribus incitavit; neque multum periculo defuit, ut interficeretur; ſed erecto imminentem telo barbarum eodem veſtigio conciderunt Eugeniani, cæteros repulerunt.

Perſpecto urbis ſitu, die poſtero omnem exercitum ad urbem perducit. Erat Cæſarianis iter juxta Danubium. Quam occaſionem non neglexerunt Turcæ, eductaque portubus claſſe, navigiis quinquaginta littus obſederunt. Cum omni telorum genere prætergredientibus noſtris infeſti eſſent; Imperator contra eos tormenta locari jubet, & paulum promoveri, qua ratione progrederentur copiæ. Quod ubi accidit, barbari ſauciabantur, vehementiſſimoque curſu fugiebant. Deinde Eugenius Taurunum circumvallare inſtituit. Hoſtes ad veteres, quas diximus, munitiones ab ea parte, quæ fere in meridiem vergit, aggerem adſtruxerant ejuſmodi, ut tractu perpetuo a Savo produceretur uſque ferme ad Danubium, reliquus vero ad flumen aditus erectis caſtellis præcluderetur. Ea de cauſa Cæſariani latiſſima inſtituebant caſtra, ita ut munitionum extrema duas ripas contingerent, proque loci natura maximum medium ſpatium amplecterentur. Neque minimam ea res attulit dimicationem. Simul enim hoſtes cum equitatu eruptionem facere, & claſſe fluminibus circumfuſi, auſi ſunt noſtros a conſtituendis caſtris prohibere. Tormentis autem e mœnibus enitebantur, urbs ne obſidione claudi poſſet. Sed poſtquam contra naves tormentis res agi cœpta, neque ab eorum ictibus tueri ſe poterant, fugam capeſſiverunt. Equites ut pulſas naves viderunt, quibus maxi-

maxime confidebant, metu perculſi refugerunt. Poſitis caſtris, urbeque abs terra clauſa, fluminibus etiam intercludendam ſtatuit Eugenius. Igitur interrupto ponte, quo loco traductus erat exercitus, navigia propius ad Taurunum deducuntur. Ponte effecto, huc aliquot cohortes tranſmittit, & imperium Nevbergio (*a*) attribuit cum mandatis, uti impedita paludibus regio injectis arborum truncis, defixis tignis, conſtratiſque aſſeribus explicaretur. Quod brevi Nevbergius ſe præſtiturum ſpopondit; celeriterque hac ratione Temeſvenſem agrum aperuit, patefactis itineribus ad liberos commeatus. Dum hæc fiebant, hoſtes navigiis Danubium invecti rei nulli defuerunt, ſi noſtros prohibere poſſent. Illi nihil territi magno animo ſuſtinuerunt, claſſemque navigiis duobus ſubmerſis in fugam dederunt. Interim a læva caſtrorum, ponte jacto, Savum etiam conjunxerant Cæſariani; & caſtellum in altera ripa conſtituerant cum tormentis propterea, ut & toto arcerent hoſtes flumine, & ſuſtinerent, ſi noctu exſcenſionem facerent. Præterea Savum inter & Danubium, ad Semlinum oppidum, minora caſtra effecta ſunt. Hic legiones aliquot conſederunt, permiſſæque ſunt Haubenio (*b*) commeatuum, qui a Petrivaradino tranſportarentur, locique cuſtodiæ. In hunc ferme modum collocato exercitu, ita Imperator claſſem diſtribuit. Naves æratas duas (his poſtmodum alteram adjunxit tertiam) in Danubio, paulùm ſupra eum locum ubi confluentem Savus efficit, haud ita a Semlino procul, ſtatuit, hoc conſilio, ut Taurunum, quidque navigiis Barbari conarentur, obſervarent. Naves in Danubio totidem ante pontem collocat contra urbem, ut ne nocere poſſent, ſi infringendi operis cauſa navigia eſſent a Taurino immiſſa. Demum tres ſupra pontem conſtiterant cum myoparonibus, & minoribus navigiis armatis pluribus, quæ reſiſterent, ſi hoſtium claſſis, quæ Semen-

(*a*) Barone di Neuberg.

(*b*) Mareſciallo Hauben.

 driæ

driæ cogebatur, prætervehi, ac infringere pontem conaretur.

Poſt paucos dies quam hæc ita conſtituta ſunt, tanta ſubito vis tempeſtatis, & magnitudo aquæ coorta eſt, ut ſummas ripas ſuperaret, pontesque ambos interrumperet. Quo repentino incommodo, qui in ulterioribus ripis caſtra fecerant, erant fluminibus interclusi. Hoſtes uſi fortunæ beneficio, conſcenſis ſubito navibus trajiciunt, & caſtellum adoriuntur in Savi ripa ſitum ad pontis frontem, ut diximus, quod a paucis defendebatur. Hic cognoſci potuit, quantum in virtute animi eſſe poſſit auxilii. Haſſiani ſexaginta munitionis præſidio erant. Hi barbaros bis mille & quingentos tamdiu acriter repulerunt, dum impoſita celeriter navibus ſubſidia ab Eugenio pervenerunt, eoſque ad navigia compulerunt. Poſt ea pontes refici cœperunt, intraque paucos dies perfecti ſunt. At Turcæ inopinato malo perculſi, quod omnem navigiorum uſum, & repentina latrocinia ſublatum iri videbant, omnia ad explicandum Danubium apparant. Naves longas, & triremes, quarum magnum habebant numerum, expediunt. Multa his minora navigia addunt. Huc magnum veteranorum numerum, & qui omnium opinionem habebant fortitudinis imponunt. Præterea actuarias veteres ex navalibus productas reficiunt. Has barbarorum equitatu, & Prætorianis complent. Eos ſeniores, matres-familias cum liberis, precibus, fletuque hortantur, uti communem miſerati fortunam virtutem præſtent, ſupremo tempore orbi ſubveniant. Ad Cœlum alii dexteras tendebant, aut Fana adibant, projectique ad terram Mahometem appellabant, & victoriam expoſcebant. Sic magno animo & fiducia, multiſque pollicitationibus incitati, cum navigiis amplius ſexaginta ad noſtras naves procedunt, quibus præerat Storchius (a). Hæ apud Semlinum fere, ut demonſtravimus, ſtationes obtinebant. Barbaris res nul-

(a) M. Storck.

nulla ad virtutem defuit. Æratæ cum triremibus, exercitatis remigibus in duas noſtras magna vi devehebantur, eaſque miſſilibus petebant. Reliquæ, quæ magnum uſum celeritatis habebant, circumvenire, & manus ferreas injicere, ſi poſſent, contendebant. Cæſariani ſcientia Gubernatorum, & firmitudine navium confiſi, impetus eorum excipiebant, & barbarorum navigiis numero ipſo impeditis in anguſto ſpatio, magna tormentorum vi multa vulnera inferebant. Ac tantum ars ſolertiaque potuit, ut ſemper venientibus diverſæ occurrerent, & circum ſe Danubium explicarent, glandibus ferreis, ignique uſæ. Eo die barbarorum naves intereunt quinque, noſtris incolumibus omnibus, ne ipſis quidem deterſis remis. Reliquæ fugam faciunt, & ſe ſub molium, objectæque ante Taurunum inſulæ munitionibus recipiunt. Dum pugnabatur ex navibus, Prætoriani cum equitatu barbarorum actuarias ad littus applicaverunt, ſeque e navibus ejecerunt. Quos e propinquis Semlini caſtris conſpicati Haubenus & Sechendorfius (a), copias eduxere, tantaque vi incurrerunt, ut eos ſubmoverent, reliquos e navibus egredi prohiberent. Hi poſtremi cum ſuorum fugam viderent, contento curſu Taurunum reverti cœperunt: Reliqui, cum novæ noſtris copiæ ſubmitterentur, & undique premerentur, veriti ne reditu intercluderentur, in naves refugere, eaſque totis armis a terra repulere. Hoc prælio ceciderunt ex hoſtium numero centum, paulo plures aut vulnerati, aut capti ſunt. Ne majori caderent numero, celerrima fecit fuga. Deſiderati ex noſtris quatuor.

(a) Barone di Seckendorf.

Poſt cladem Tauruni magnus luctus, & deſperatio fuit civium. At Turcæ nihilo ſegnius omnia ad defenſionem comparare, quod nuncia ſuperioribus diebus acceperant, magnos eorum auxilio cogi exercitus in inferiori Mæſia. Itaque veteribus novas adiiciunt

ciunt munitiones ; propugnacula adverſus majora Eugenii caſtra erigunt tria , tormenta locant quinquaginta : Interiorem etiam aggerem novum efficiunt , foſſa valliſque muniunt . Hinc omnia ad trahendum bellum , & propugnationem adminiſtrandam conantur . Eugenius natura loci inſpecta, longe alio conſilio utendum ſtatuebat ad oppugnationem . Urbs qua parte fluminibus alluitur , fere patebat omnis , niſi quod mœnibus non multum firmis, objectaque inſula defendebatur ; cæterum in collis declivitate poſita peti tormentis poterat. Adverſam Savi ripam ab annis antea fere ducentis Solimanus (a) Turcarum Rex inſederat ; indeque ad oppugnandam urbem aggreſſus , vi ceperat . Eugenius huc Marſilium (b) ſumma virtute virum cum cohortibus ſex, equis trecentis, & magno foſſorum numero de media nocte mittit , ac in ripa fluminis continuo jacere aggerem jubet . Marſilius trajecto Savo littus occupat, mox terram exhaurire, crates ac pluteos præſtruere tanta diligentia cœpit , ut nihil hoſtes ſuſpicari poſſent . Prima luce , poſtquam eſt animadverſum ab mœnibus, quid agerent Cæſariani , converſis machinis , tormentiſque certatum eſt ab hoſte . Cum re nulla perterreretur Marſilius, expediunt claſſem , eamque Prætorianis complent ad quatuor millia . Hi mobilitate navigiorum , & citatiſſimis remis, noſtrarum navium aſpectum ac impetum vitant . Vehementer elati fiducia , quod ripam tuto apprehenderant , ejiciunt ſeſe , & noſtros inopinato cum magnis ululatibus adoriuntur . Hi repentino incurſu perturbati , opera relinquunt , arma capiunt, magnos barbarorum impetus ſuſtinent incredibili virtute. Sed impari numero cum circumvenirentur, fortiſſimi quique interficiebantur , & ordinum Ductores cadebant . Marſilius cum noſtros undique urgeri videret, fruſtraque per ſe hoſtes ſuſtinuiſſet diu , multis jam vulneribus acceptis, converſus ad ſuos, Suſtinete, in-

(a) Solimano nel 1521

(b) Achille Marcheſe di Marſilli.

inquit, & gloriæ conſulite, ego quoniam ad extremum proſpexi meæ. Simul cum ſanguis jam vireſque deficerent, in medios barbaros irrupit. Cum unus ex legionariis retinere conaretur: Quin abi potius, & Imperatori renuncia, quam celeri opus eſſe auxilio: ab Marſilio mandata ejus effecta, & quem vivens locum ceperat, moriendo ipſum texiſſe corpore. Ita pugnans poſt paulum concidit. Neque multo poſt Plumbergius, (a) qui erat pro Tribuno unius turmæ, & propinquum locum tenebat præſidiorum, clamore militum & ſignorum ſono exaudito, deductis equis fere trecentis, curſu magno contendit, tantaque vi in barbaros victoria elatos prorupit, ut eorum nemo conſiſteret. Eodem momento ſupervenit Eugenius. Hoſtes prope circumventi, non ſolum loco ceſſerunt, ſed protinus incitati fuga, conſternatique littora petierunt, & ad naves refugerunt. Quos Eugeniani cum pede preſſo ſequerentur, & fugientes vulnerarent, ſcaphæ vero fugam cepiſſent, multi eorum ſe in Savum conijciebant, & vi fluminis abripiebantur. Interfecti ſunt ex noſtris quingenti; ſexcenti hoſtium cæſi, cum eorum Duce Romeliæ præfecto, qui fortiſſimus habebatur. Singularem hoc prælio fortitudinis laudem conſequitur Maldefeldius Pro-Centurione, qui ex barbarorum numero interfectis manu ſua vicenis, vexillum uni eorum detractum ad Eugenium retulit. Quam ob rem præcipuus ei honos habitus eſt ab Imperatore; namque vexillum ante Prætorium juſſit explicari, commendatione virtutis.

(a) Barone Plumberg Tenête Colonello.

Ripa occupata, extructiſque munitionibus, tormenta viginti & ſex, machinæque conſtitutæ ſunt quindecim. Tum ea vi oppugnari cœpit, ut maxima brevi clades fieret, ædificia & tecta quaterentur, magnoque collabefierent fragore. Quæ clades hoc erat civibus gravior, quod urbs anguſtos habebat vicos, & domi, aut foris ſpes erat ſalutis nulla. Erat objecta, ut diximus,

mus, Inſula, qua defendebatur Taurunum. Hinc magnum ignem adminiſtrabant barbari. Brevi tamen repelluntur, tormentis eorum everſis, incenſiſque operibus. Igitur his exuti propugnaculis, ædium ruina, urbis incendio perculſi, conſternabantur; neque multum abfuit, ut deditionem facerent. Sed ſuſtinebant, quod cum magnis exercitibus ſciebant appropinquare Viſirium, brevique ſubſidio futurum. Huic Haſtchi Alyo nomen erat, quodque ſummam rei bellicæ ſcientiam haberet, delectus fuerat a Rege ſuo, qui imperium copiarum obtineret. Ei autem exercitum attribuerat hominum armatorum CC. M. Magna pars exercitus conſtabat militibus Prætorianis, ac eorum erat numerus ad LXXX. M. Reliqua erat multitudo ex Dardanis, Beſſis, Numidis, Cretenſibus, Aſianis, & Africanis militibus, pleriſque tyronibus. Ii autem, quod per vim coacti fuerant, atque inermes convenerant, plerique dumtaxat utebantur gladio, arcu nonnulli. Alyus Dux, etſi non multum in iis auxilium fore videbat, tamen nonnihil multitudine, maxime autem Prætorianorum confidebat copiis veteranis, quæ erant exercitus robur, atque Imperii. Multum etiam in machinarum numero, ceteroque bellico apparatu fiduciæ collocabat; quod magnam tormentorum copiam toto Oriente conquiſitam ad exercitum comportari juſſerat, ut Cæſariana oppugnaret caſtra, niſi copia dimicandi fieret. Quibus rebus cognitis Eugenius, ne hoſtium adventu oppugnatio intermitti, nev prohiberi poſſet, has munitiones inſtituebat, quo minore militum numero caſtra defenderet. Foſſam perpetuam magnæ altitudinis perducit, valliſque præfixis munit. Poſtea munitionem ex virgultorum faſcibus, ſuperque aggeſto ceſpite extruit a Savo ad Danubium; atque ita tota caſtra munimento circumdedit. Paulum deinde ab his operibus abjuncta ex aggere propugnacula erigit, caſtella idoneis locis efficit, ne quo loco

hoſtes

hoſtes appropinquarent caſtris. Atque has exteriores munitiones, apertis in ſolo itineribus, tranſverſis foſſis, internis receptibus ſingulas, interque ſe ſe explicabat. Perfectis operibus, tormenta pro vallo LXXX. locat; Præfectos omnibus locis cum præſidiis conſtituit, qui quotidie in ſtatione ſint, proque caſtris agant excubias.

Interim Alyus, indicta profectione movet exercitum, & præmittit barbarorum equitatum ad explorandas munitiones. Illi obequitare noſtris caſtris, & ad propugnacula progredi audebant, mox celeriter fugam faciebant. Quod cum animadverſum eſt a noſtris ſæpius fieri, equites improviſo eruptione facta eos circumveniunt, multoſque interficiunt. Non multo poſt omnis pervenit exercitus, neque procul a noſtris caſtris conſedit. His viſis auxiliis, cum magnis clamoribus fit in urbe gratulatio, tormentiſque omnibus produntur lætitiæ ſigna. Sed neque diutina lætitia fuit. Eugenius, dum urbis pars quæ adjacet fluminibus, immiſſo continenter igni abſumebatur, a meridie contra arcis munitiones opera produxerat, & machinis conſtitutis, ignitarum glandium magnam vim in urbem conjiciebat; atque ita accidit, ut ignis in eum locum incideret, quo magnus erat bellici pulveris congeſtus numerus, qui cum ſubito in flammas exiliret, tanto fragore ruinaque concrepuit, ut incredibili ſtrage urbem dirueret, & magnam murorum partem everteret. Hæc urbis clades magnum attulit noſtris ad expugnationem momentum. Nacti enim ſpatium, diſtricto gladio aggreſſi Turcarum præſidia, Fano, quod illi armatis compleverant, mora nulla potiuntur. Alyus ubi noſtros ſuis locis ſe tenere animadvertit, neque ab oppugnatione urbis intermittere, conſilium capit ex loci natura. Erant circum caſtra Cæſarianorum editi colles. Ad eorum radices caſtra metatur exercitui, atque omnem eum locum, qui

Danubium, & Savum interjacet amplexus, Eugenium circumvallare inſtituit. Caſtella munitioneſque idoneis locis efficit, & tormenta contra noſtros collocat: Pelles autem, militum & Ducum tabernacula, totis diſtribuit collibus. Quæ cum eſſent purpura, ſerico, auroque contexta, & ad nimiam conſtrata luxuriam; omnium vero collium ab noſtris caſtris eſſet aſpectus, non irridicule quidam ex voluntariorum numero dixit, plurimam eſſe referendam hoſtibus gratiam, qui longa oppugnatione defeſſis ſcenam & ſpectaculum darent. Eugenius contra hoſtium tormenta, quæ quotidie noſtros laceſſebant, aggerem ceſpititium extrui ad majorem altitudinem, loricas ex viminibus & corbibus fieri juſſerat. Huc equos integros & incolumes continebat. In omnes etiam partes crates proferri, & adverſas locari mandaverat, ad tegendos milites. Interea cum fama per orbem terrarum percrebuiſſet, Eugenium a Turcis obſideri, eoque res eſſe loco, ut a tergo hoſtium CC. millia, a fronte urbem cum militibus præſidiariis amplius XX. millibus, a duobus lateribus duo maxima haberet flumina; tantus omnium animos timor occupaverat, ut alii perturbarentur mente, alii Imperii ſortem dolerent, plerique Eugenii prudentiam requirerent, virtuti diffiderent. Qui autem amiciſſime loquebantur, fortunam accuſabant, quæ & in reliquis rebus, & vero in bellis perſæpe convertitur. Neque etiam minima Cæſarem cura ceperat, fortunæ commutationum, bellique caſuum non ignarum; Quem Eugenius crebris tamen litteris certiorem faciebat, ſecuritati exercitus eſſe proſpectum: firmiſſimas eſſe munitiones, plena commeatuum caſtra, pontes fluminibus inſtratos duos ad reducendum exercitum, ſi forte fortuna res ferat: ſed neque ullo id tempore futurum, & Taurunum brevi in ejus poteſtatem venturum. At in Germanorum exercitu, tametſi aliqui interficiebantur ab hoſtibus, quod tor-
menta

menta ſtatuerant & machinas in ſummis collibus, ex quibus erat deſpectus in caſtra, tamen eſt vox audita nunquam Eugenii dignitate, aut ſuperioribus victoriis indigna; crebroque voces militum audiebantur, prius ſe vivos in hoſtium manus venturos, quam Taurunum dimiſſuros: Tantam vero victoriæ fiduciam ceperant, ut, quo majores hoſtium copias adventate quotidie nunciabatur, eo majorem Turcarum occidendorum fore copiam dicerent.

At ii, qui Tauruni obſidebantur, ſummis premebantur anguſtiis, quod continenti igne fatigati, neque ſub ædificiis, neque in propugnaculis tuto eſſe poterant; ſed tectorum cavere ruinam cogebantur, ac in urbis cæmentis, & prope in ipſis, qui oppreſſi fuerant, cadaveribus civium, conſiſtere debebant. Quæ hoc erant acerbiora, quod a multis diebus per ſummam inopiam extremam famem ſuſtentabant, neque niſi viritim, & parce frumentum aut pecus diſtribuebatur, novis commeatibus deſperatis, quoniam maxima diligentia omnes partes a Cæſarianis tenebantur. Ea re conflictati cives, & præſidiarii milites, mutuis ſermonibus de deditione inibant conſilia. Quibus rebus nuntiatis Præfecto, illico in forum venit, manipulos circuit, cives appellans, militum prehenſans manus, hortatur, petit, obſecrat, ne ſe, nev urbem, nev tot armatorum millia, ſuorum inſpectante exercitu, hoſti dedant: Quod ſubſidia, & commeatus nulli ſint immiſſi, eveniſſe, quod quæ expectabantur copiæ, nondum omnes conveniſſent: Nihil dubitationis dari, quin propediem pervenirent, caſtra hoſtium adorirentur, urbem obſidione liberarent. In his erant anguſtiis res.

Alyus, quamvis crebræ ſignificationes ab urbe fierent, tamen omni aditu præſepto, ubi nulla videt immitti poſſe auxilia, conſilium capit oppugnationis caſtrorum. Itaque foſſas produci, atque acceſſus fieri

imperat. A læva caſtrorum mediocris erat collis proxime Savo imminens. Hunc locum repentino impetu noctu occupat, atque effecto caſtello, munitionem, qua pons defendebatur, admotis tormentis tentare cœpit. Præterea promotis operibus, omni ex parte caſtra oppugnat, machinis triginta & quinque uſus, tormentis amplius centum. Eugenius ubi collem a barbaris teneri animadvertit quo loco poterat flumen trajici, veritus ne aut tranſmiſſo repente Savo legiones, quæ ſub Haubeno erant, a reliquo intercluderentur exercitu, & præſidia caperentur, nev tormentis pons interſcinderetur, per quem commeatus comportabantur; aliud ſibi conſilium capiendum ſtatuit, prælioque decernere, ſubita irruptione tormentis hoſtium potiri ſe poſſe ſperans, quod ea aliquanto procul ab omni exercitu produxerant, ac audacius noſtris munitionibus admoverant. Igitur clam ſilentio legionibus Haubeni reductis in caſtra, relictiſque fere militum III. mill., qui præſidia trans Savum poſita tuerentur, ad hunc modum inſtruxit exercitum. Pedites in acie duplici diſtribuit. Primam aciem a dextra Starembergius, (*a*) a læva Harrachius tenuit. (*b*) Secundam Beverenius regebat (*c*), univerſo autem peditatui Virtembergius (*d*) præerat. Equitatum omnem Imperator circumdedit cornibus, & totidem acies inſtituit. In cornu dextero Ebergenum (*e*), & Mercium, in ſiniſtro Montecuculum (*f*) & Martignium (*g*) curare jubet. Toti equitatui præpoſitus erat Palphius (*h*), qui etiam in prima acie a dextero conſtitit. Subſidiis Eugenius Sechendorfium præficit. Viardo (*i*), & Brauno ceterum exercitum præſidio caſtris permittit, monetque uti forti & parato ſint animo, obſeſſos tormentis multoque igni terreant, neve eruptionem fieri ſinant. Campeſtria peditatui tormenta triginta, equitatui decem diſtribuebat, & plauſtra cum bellico commeatu plura; Operas autem, & Ma-

(*a*) Conte Maſſimiliano di Staremberg.
(*b*) Conte di Harrach.
(*c*) Di Beveren.
(*d*) Pr. Aleſſandro di Virtemberg Feld-Mareſciallo.
(*e*) Conte Ebergeni.
(*f*) Conte Montecuculo.
(*g*) Conte Martigni.
(*h*) Conte Gian Palfi Feld-Mareſciallo.
(*i*) Mr. Viard

& Machinatores magno numero poſt exercitum ſequi jubet, qui uſui ſint ad adminiſtrandam rem bellicam, ſi machinis, tormentiſque hoſtium potirentur Germani. Hæc tanta diligentia præſcripta ſunt, ut quid ageretur, neque ab obſeſſis, neque ab exercitu cognoſci poſſet. Inſtructis omnibus, noctu corpora & equos curari imperat, præſtoque eſſe, & proficiſcendi ſignum expectare. Is erat dies ad XII. Kal. ſept., quo die, quoniam Marianæ erant feriæ, optimum habebatur auſpicium. Imperator caſtra circuiens, unumquemque nominans appellabat. Milites, Duceſque, qui annos amplius tredecim ſub ſe meruiſſent, pleroſque ipſos, aut facta eorum fortia noverat; ea commemorando, omnium animos incendebat. Sed tantus ardor in omni erat exercitu, ut alacres ſignum primo albente cœlo dari poſcerent, atque Eugenio majori arte opus eſſet ad continendos, quam ad excitandos milites.

Armatis paratiſque, de tertia vigilia, admonito per Legatos exercitu ut taciti proficiſcantur, ſigna ferri juſſit. Equites, quibus prima acies conſtabat a dextera, ſilentio egrediuntur, & fulgente luna modico gradu progrediuntur. Sed coorta repente nebula cum lucem abſcondiſſet omnem, neque in umbris craſſiſſimis, quo quiſque vaderet videre poſſet, Palphii Equitatus, contra quam erat imperatum, dextrorſum a medio deflexit, quæ res magnum attulit incommodum. Paulo ante opus Turcæ perfecerant haud ita multum a noſtris munitionibus disjunctum. Ea res ignota erat Cæſarianis. Palphiani cum errore abeuntes haud multum proceſſiſſent, huc acceſſerunt, & in præſidia prætorianorum, qui excubabant, inciderunt. Illi repentino noſtrorum adventu excitati, tamen immiſſos rati manipulos explorandi cauſa, reſtiterunt, & tela in adverſos conjecerunt. Palphius re viſa, etſi non omnis pervenerat equitatus,

adhuc hortatus eſt ſuos, uti ne rei deeſſent. Hi confertis ordinibus miſſilia omnes miſerunt, celeriterque ſtrictis gladiis turmatim procurrerunt. Hoſtes ea re perterriti, omnemque veriti inſtare exercitum, clamorem univerſi, & magnos ululatus mittere, totis munitionibus palantes currere, metum ac tumultum circumferre. Et trepidatio quidem fuit, quantam eſſe neceſſe erat in nocturnis tenebris, quæ omnem prohibebant aſpectum. Duces neque quo ſigna ferrentur, neque quam quiſque in partem conveniret, quave hoſtibus reſiſti oporteret, providebant. Prætorianos quidem, veluti captis jam caſtris, hujuſmodi metus cepit univerſos. Et niſi barbari, leviſque armaturæ equites, pro munitionibus, loco quem concurſu primo ceperant, ſtetiſſent, accidebat, ut hominum minus quadraginta millia, uno conjectu miſſilium fugatis hoſtium ducentis millibus, caſtris eorum potirentur. Sed hi reſtiterunt, & Cæſarianorum equitum impetum fortiter tulerunt. Quare effectum eſt, ut Prætoriani ſe ex maximo terrore colligerent, interque ipſos hortati ad munitiones redirent, deinde in noſtros incurſum magna vi facerent. Palphius acie firma eos repellebat, & quamquam apertis in ſolo ductibus, perpetuiſque foſſis impediebatur, tamen progredi nitebatur. Clamore pugnantium audito, accelerat Mercius, & cum ſecunda acie equitum in prælium deſcendit. Eodem tempore reliquæ copiæ progreſſæ omnes, licet proſpectu tenebris adempto, tamen acriter præliantur, & peditatus a dextera equites ſecutus magnæ iis ſaluti fuit. Cum enim equi ſoli difficultatibus, hoſtiumque numero impediti ægre procederent, tantam virtutem præſtiterunt, ut eos loco pellerent, & in effuſiſſimam fugam darent. Sed errore & caſu maximarum ſæpe rerum converſiones fiunt, ſupraque Imperatoris prudentiam præliorum exitus mode-

moderatur fortuna. Quæ res equitibus expeditam peperit victoriam, exercitui magno periculo fuit. Namque in illa obſcuratione cum alio, quam quo Imperator præſcripſerat, cornu dexterum proceſſiſſet, magnum in acie media vacuum relinquebatur ſpatium. Barbari poſt cœcos incurſus hunc demum aditum nacti, magno numero irrumpunt, ac abſciſſum a reliquo exercitu cornu dexterum urgere incipiunt. Quare cum neque cognoſcendi, neque ſui colligendi facultas noſtris daretur, in extremo erant diſcrimine, niſi forte fortuna dilutæ repente nebulæ clariſſimum recluſiſſent diem.

Eugenius in lævo cornu conſtiterat. Ubi hoſtes eo progreſſos, a dextera ſuos circumveniri, rem eſſe in anguſto vidit, voluntariis, qui eum erant ſecuti, appellatis, cohortatuſque milites, ut in ſummo periculo animos gererent ſuperioribus victoriis dignos, ſecundæ aciei dat ſignum, & in certamen procedit. Hoſtes victoria fere explorata erecti, nec loco cedere, neque Eugenianorum concurſu commoveri. Noſtri omnia tentare, adverſarios premere, eximia virtute in conſpectu omnium contendere. Movebat Imperatoris aſpectus, ante omnia præſens periculum, quod cum inter primos verſaretur, eum unus ex Prætorianis gladio percuſſerat, & vulneraverat, neque eo magis aut acie exceſſerat, aut rei ulli deerat, quin præcipuam laboris, periculique partem capeſſeret. Igitur collatis ordinibus, incredibilique ardore inflammati irruunt. Eodem tempore dexter peditatus, animadverſo periculo, ut hoſtes propellant, ſeque cum reliquo conjungant exercitu, ſigna convertunt, ſumma vi prælium committunt. Barbari pertinaciſſime eodem ſe veſtigio defendunt, ac pari contentione aliquandiu dimicatur. Ad extremum Germanorum acies ſtabilis, ſuo armorumque pondere incumbentium hoſtium agmen perrumpit, ac disjicit. Quo tem-

tempore ſingulare conſilium, atque eximia virtus Viardi fuit, qui præſidio, uti demonſtravimus, relictus munitionibus fuerat. Conſpicatus enim e caſtris vehementer cornu dexterum tormentis vexari a loco ſuperiore, ubi ea hoſtes collocaverant, eruptione facta cum equitatus manu, perque hoſtes medios ſe inferens, barbaros ab eo colle dejicit, tormenta capit, victorque in caſtra ſe recipit. Quem deinde poſt pugnam Eugenius pro ejus merito, virtuteque militum collaudavit, quod magnum momentum ad victoriam attuliſſet. Ita media acie reſtituta, & hoſtium operibus, quæ in oppugnatione caſtrorum fecerant, captis omnibus, Imperator uſus ardore exercitus, Caſtra hoſtium, inquit, Germane, caſtra pete: Eſto Sol hic clariſſimus virtutis teſtis, pulcherrimam omnium Cæſari victoriam pari. Barbari magnitudine operum colles erant amplexi, atque ita triplici munitione caſtra defenderant, ut magno periculo acceſſus eorum haberetur. Nihil vero Cæſarianorum impetum retardavit, quin incitato curſu contra vallum procurrere, in aggerem exſilire, munitiones ſupervadere auderent. Hoc die excellens Bojorum (a) virtus fuit, lævum qui cornu tenebant. Conjunctis enim ſignis in confertiſſimos ſe hoſtes primi intulerunt, eorumque disjectis ordinibus, continenti curſu collem occupaverunt, unde magnum ignem tormentis decem & octo Turcæ conjiciebant, & viam reliquis patefecerunt. Quorum de virtute deinde Eugenius plura ſcripſit ad Cæſarem. Eodem impetu, neque non pari fortuna confligebatur a dextera; Jamque tormentis omnibus potiti Cæſariani, ea in hoſtes converterant. Qua re perturbati barbari, cum Prætoriani ſuſtinere non poſſent, & maxima cædes fieret, effuſam omnibus partibus fugam faciunt, Caſtra, Arma, Tentoria obliti, ſalutis modo, vitæque memores, cui vellent conſultum fuga.

(a) Bavari.

Ita

Ita demum in ſuis ipſi caſtris profligati ſunt barbari, quo maxime tempore expugnare audebant Cæſariana. Et fama eſt Alyum Ducem, tanti viſa exercitus clade, cum deſperatiſſimo fletu ſuorum ſcelus & nequitiam accuſaſſe, quæ Turcico Imperio gravem faceret iram Superum. Leves equites inſecuti fugientes, tantam barbarorum multitudinem interfecerunt, ut hominum eo die cæſa ſint circiter decem & octo millia. In caſtris tenſa tabernacula, ſtrata triclinia, magnum argenti pondus, lautaque ſupellex expoſita, deſertæ urbis ſpeciem victoribus præbuit. Jumentorum quidem tanta eſt capta multitudo, ut uno venundarent argenteo Camelos tres. At ii, qui in urbe obſidebantur, toto pugnæ tempore eruptionem nullam fecerunt. Iis Viardus equitatum, ſi auderent, objecerat. Tantam vero glandium atque ignis vim injecit, ut bellici pulveris receptaculum eorum maximum incenderit, quod incredibili omnium ædificiorum clade erupit. Quamobrem tantus urbem luctus excepit, ut omnino caderent animo. Eugenius reducto in caſtra victore exercitu, urbis Præfecto deditionem imperat, quod ille anguſta re frumentaria, urbis, exercitus clade perculſus facit, ac urbem, arcem, claſſem omnem Cæſarianis dedit. Eugenius præter captivos, transfugas, eoſque, qui rebellaverant, ceteris abire juſſis, Taurunum in Cæſaris poteſtatem recipit. Hoſtium qui urbe exceſſerunt fuit armatorum ad XX. millia numerus. Hoc prælio, expugnationeque urbis, capta ſunt tormenta ſexcenta & ſexaginta quinque, fere ex ære omnia; machinarum fuit numerus centum & quatuor; præterea plumbi, ferri, armorum, cæterique bellici commeatus copia incredibilis. At poſtquam literis, nuntiiſque eſt pervulgata fama victoriæ, magnæ in omni Europa gratulationes fieri, Cæſarianorum & conſtantia, & magnitudo animi efferri; de Eugenii virtute, ſcientia-

que

que rei militaris multo, quam quæ ſuperioribus bellis, plura prædicari. Quo tempore, cum aliis in locis, tum unus Mediolani Orator excellens (a) eloquentem, & plenam dignitatis habuit orationem, laudavitque e roſtris Eugenium, quod, quæ ſingulæ magnum Imperatorem efficiunt, eas omnes res uno præſtitiſſet bello, oppugnando, propugnando, debellandoque. Acmetus Rex, amiſſis intra annum exercitibus, arcibus, Provinciis duabus maximis, pacem petere cœpit; petenti deinde Cæſar dedit. Sed hæc eo anno fuerunt, qui ſubſecutus eſt. Eugenius maturius quam conſueviſſet, collocato in hybernis exercitu, Viennam proficiſcitur, cujus tanta admiratione, ac favore hominum iter celebratum eſt, ut ex agris effuſi concurrerent, eoque viſo Superos Immortales appellarent, grateſque agerent, quod ea tempeſtate tantum præſidio Imperii virum eſſe voluiſſent. Ob eam etiam rem inferior Auſtria jure Nobilium donavit Eugenium, quæ res ſummam habet opinionem auctoritatis. Sed Carolus Cæſar redeunti obviam miſerat nobiliſſimum Virum, qui eum ſuo nomine ſalutaret, gladioque donaret cum aureo & gemmato capulo. Quem poſtea magnifice, eque ſolio laudavit, & tanti ſemper deinceps fecit, quanti fieri oportuit virum Imperii, Reique publicæ vindicem.

(a) Gian Paolo Alciati della Compagnia di Gesù.

FINIS.

MAG 2010233